



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


**Epistola Græca Simonis Lithi Miseni Calvinistæ In Sva  
Elementa**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1605**

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70627](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70627)



S

II

33


Th. 6054.


12


*M.*

*S. II*

33







S

M

F

C

Ad

r


Epistola Græca  
SIMONIS LITHI  
MISENI CALVINISTÆ IN  
SVA ELEMENTA

*A*  
JACOBO GRETSERO  
SOCIETATIS IESV THEO-  
LOGO RESOLVTA.

Cum' pharmacis ob IESVITARVM in Gallias  
reuocationem irato & meticoloso MISE-  
NO curando idoneis.

*Accesit*

Admonitio breuis de miraculosis in Venerabili Eucha-  
ristiæ Sacramento apparitionibus, quas malè tor-  
natis versibus insulsus Poëtafter LI-  
THVS infectatus est.



*Cum gratia & privilegio sacrae Caf. Maiest.*  
INGOLSTADII,  
Ex Typographia ADAMI SARTORII.  
*A* NNO M. DCV.

THOMAS LITHE  
MISTRI CALVINISTE IN  
A. 1644

JACOBO GRILLERO  
L. 1644

R  
I  
D  
L  
R

A  
t  
M  
C  
t



REVERENDISSIMO  
IN CHRISTO PATRI AC  
DOMINO, DOMINO QVIRINO  
LEONINO SS. THEOLOGIAE DOCTO-  
RI, Protonotario Apostolico, Cathedralis  
Ecclesiæ Ratisbonensis Præposito, Ar-  
chipresbytero & Vicario  
Generali, &c.

**A**Nno superiore obtuli  
tibi, REVERENDISSI-  
ME DOMINE, tertiam  
Apologiã pro vita B.P.N. Igna-  
tij, cum *Consolatione* pro Litho  
Miseno, cui reditus noster in  
Galliam, tantum cruciatus at-  
tulerat, quantũ Caucasus Pro-

A 2 me-

metheo, vultur intima viscera  
semper rimans Tityo, rotaque  
Ixioni. Non sanauit, vt iam vi-  
deo, *Consolatio* mea ægrum Mi-  
seni animum; sed pupugit, vel  
potius magis exasperauit. Mox  
enim vt *Consolationem* legit, ex  
barbaro vel semibarbaro Lati-  
no factus est Græcus *Ἰνδένος*,  
epistolâ Græcâ admodum *pue-  
riliter*; (non enim dicere pos-  
sum, licet de vieto & capulari  
sene; *seniliter*) ad me datâ; qua  
negat se dolore affectum, ira  
potius percitum, & timore per-  
culsum fuisse ait, ob nostram  
in Galliæ regnum reuocatio-  
nem.

At

At quàm verè hoc dicat, planum facit mea hæc epistolę Misenicę analysis: cui ipse non alia de causa, quàm vt vnum adhuc chartę folium epistolę suę Volusianę adiungeret, adiecit picturam Monstratię seu Hierothecę cuiusdam, & nescio quid insipidissimorum, nec in Parnasso, sed in Trophonij aut Mopsi spelunca natorum carminum. Et quamuis illis ipsis diebus, quibus Miseni epistola ad me peruenit; Bauium & Mæuium ægerrimos, & propè depositos ac desperatos curarem, alterum quidem, vt Alchymistam, Antimonio; alte-

A 3 rum

rum helleboro, vixq; fieri posse videretur, vt deliranti quoque Miseno medicam manum porrigerem, attamen pro meo in Misenum amore, aliquid temporis aliis suffuratus sum; & hoc, quod conspicias, RECIPE, pro Lithi ira & metu præparavi. Quod tibi, REVERENDISSIME DOMINE PRAEPOSITE, strenæ vice ac loco offero. Sunt hodie Kalendæ Ianuariæ, quibus vacuum ad te venire non decebat. Nec strenas accipere dedignaberis, quas maximos Principes protensis ad populū manibus hac die cupidè accepisse nouimus. Deum precor, vt istæ  
ipsæ

*Dedicatoria.*

5

ipsæ Kalendæ sæpius tibi felici-  
ter oriantur. Vale. Ingolstadij  
Kalendis Ianuarij. M. DCV.

*Reuerendissima Paternit.  
tua addictiss.*

*IACOBVS GRETT-  
SERVS.*

*A 4 Facul-*

6



FACVLTAS R. P.  
PROVINCIALIS.

Responsum hoc P. IACOBI GRE-  
SERI Societatis nostræ Theologi,  
ad calumniatricem epistolam Græ-  
cam Lithi Miseni Calvinistæ excu-  
di poterit. Ingolstadij 17. Decembris  
M. DCIV.

GREGORIUS ROSE-  
FIVS Societatis IESV  
per Germaniam superio-  
rem Præpositus Prouin-  
cialis.

EPISTO-



EPISTOLAE  
GRÆCÆ, SED LITHINÆ,  
HOC EST, LAPIDÆ ET  
*ἀνολογίας* in sua principia  
analysis.

*Divisio epistola Misēnicæ in quatuor præci-  
pua partes; in contradictiones, menda-  
cia, criminationes, & inanes  
prophetias.*

**N**ON abs re facturus mihi visus  
sum, Lithe Misēne, si veteres glos-  
sographos imitatus, ut illi tex-  
tum, quem explicare instituunt,  
ita ego epistolam tuam in suas partes disper-  
tirem; in contradictiones nimirum, menda-  
cia, criminationes, & inanes prophetias, quæ  
diuisio epistolam tuam, nisi fallor, adæquat,  
equè ac *obiectum attributionis* scientiam seu fa-  
cultatem, cuius est *obiectum*. De singulis bre-  
uiter aliquid dicam: ac primò de antilogiis.

A 5 Prima

Prima contradictio. Negat se *tristitia affectum ob Iesuitarum in Galliam reditum; eamque ob causam nulla Consolatione opus habuisse*. At primis statim epistolæ verbis sic scribit: *Diulgato Societatis tuæ reditu in Galliam, sanè moleste (verum enim, ut opinor, dicendum est) illum tuli*. Si moleste tulisti; ergo doluisti; ergo tristitia affectus es. Quid enim est dolere seu tristari, quàm moleste ferre, seu, ut tu Græcè loqueris *πᾶν δυσχερῶς ἔχειν*. Potestne fieri, ut quis amici aut parentis mortem *πᾶν δυσχερῶς* admodum ægrè ferat; & tamen non doleat?

Secunda contradictio. Ait, *ea, quæ cum Iesuitis in Gallia euenerunt: nullam animi ægritudinè sibi attulisse*. Et tamen, palam profitetur; se restitutionem nostram *πᾶν δυσχερῶς*, admodum ægrè & moleste tulisse. An aliquid ægrè & moleste ferre, nulla est ægritudo animi?

Tertia contradictio. Dicit, *se ob id, quod accidit, non valde perculsum esse*. Et tamen idem Misenus eadem manu, qua hæc scripsit, vel illo ipso ore, quo hæc dictauit, simul etiam vel scripsit, vel dictauit; se reditum nostrum in Galliam *πᾶν δυσχερῶς*, valdè moleste tulisse. An qui aliquid admodum moleste fert; non valdè percellitur, præsertim si præter votum & expectationem, id, quod molestiam creat, ei eueniat?

Quarta

Quarta contradictio. Ait, *se non tam dolere, obreditum nostrum, quàm metuere ne reditus noster novas turbas in Gallia excitet.* Et tamen ille ipse Lithus, qui hoc affirmat, simul etiam affirmat, *se ob restitutionem nostram non dolere.* An non dolet; qui non tam dolet, quàm timet? An non famet, qui nō tam famet, quàm fitit? An non fitit, qui non tam fitit, quàm famet?

Quinta contradictio. Ait, *se præclarè nosse, quamlibet in rebus omnibus mutationem expectari posse.* Et tamen in secundo suo aduersus B. P. Ignatium scripto; præclarè sibi nosse videbatur, mutationem hanc dexteræ Excelsi non posse expectari: Plerophoria enim Caluiniana plenus firmiter sibi persuadebat, in cœlo, & in Gallia iam vltimam, & irreuocabilem sententiam contra Iesuitas latam esse; neque ab vlllo vllam mutationem in melius expectari debere. At nunc quamlibet *mutationem dicit expectari posse.*

Sexta contradictio. Ait, *se non heri vel nudius tertius didicisse naturæ humanae imbecillitatem, & facilem ad contraria conuersionem.* Et tamen iste ipse Misenus in secundo suo scripto vel potius calumniarū sacco certissimus sibi videbatur, nullam amplius Iesuitis, aut Iesuitarum fautoribus conuersionem ad pristinum statum

statum

statum sperandam aut expectandam esse. Obsecro, quando tandem mutata priore illa tua persuasione, cepisti agnoscere facilem ad contraria rerum conuersionem? Si non heri & nudius tertius, forsan nudius quartus, forsan nudius quintus? & vt grandiozem numerum nominem, forsan nudius decimus.

Septima contradictio. Ait, *sibi perspectum esse, nihil periculi electis*, hoc est, Calvinianis, *imminere, licet Iesuita ex toto orbe in Galliam concurrant*. Et tamen ille idem, qui hoc tam probe nouit, publicè fatetur, se timere, ne Iesuitarum impulsu, & instigatione Calviniani in Gallia non modò premantur; sed & inde exturbentur. Quid times pericula, si electis tuis nihil periculi impendet? Quid metuis, ne Calvinismi cursus præpediatur, si nullum est periculum, ne præpediatur? Quid times, ne Calvinistæ aliqui ad Catholicam fidem reuertantur, si electi tui ab hoc regressu quàm tutissimi viuunt; si, vt inquis, vocè alienam, hoc est, non Calvinianam, non audiunt? Quid times, ne aliqui doctrina & institutione Iesuitarum retrahantur, ne in Calvinismum ruant; si electus, hoc est, Calvinista futurus, nullis retinaculis retineri potest, quominus Calvinista fiat?

Octaua

Octava contradictio. Dicit, *se malè ominari nolle de nostro in Galliam reditu.* Et tamen integram propè pagellam vanissimus augur vanissimis ominibus implevit. Verùm de hoc capite in prophetiis Misenicis.

Nona contradictio. Parlamentum Parisiense vocat *δικαστήριον Σεμνότατον*; interpres Misenicus vertit *iudicium grauißimum*, & tamen Senatores huius *δικαστήριον* & Curie mox nominat *Antichristi mancipia*; quia omnes Catholicos vocat *Antichristi mancipia*; inter Catholicos autem sunt etiam illi Senatores, teste Miseno; qui eos non modò Catholicos, sed & *καθολικωπάτας* appellat.

Decima contradictio. Dicit, *reditum nostrum in Galliam attulisse sibi iram & indignationem; non tristitiam aut dolorem.* At fieri nequit Misene, vt quis irascatur & indignetur; nulloq; dolore afficiatur. Docet hoc experientia. Docet Aristoteles lib. 2. Rhetoricorū: qui odij & iræ differentiam, his verbis tradit: *καὶ τὸ μὲν (ὀργίζεσθαι) μετὰ λύπης. τὸ δὲ (μισεῖν) ἄνευ λύπης, ὃ μὲν γὰρ ὀργίζομεν & λυπείται, ὃ δὲ μισῶν, ὄχι.* *Ira coniuñcta est cum dolore. Odium, caret dolore. Dolet enim qui irascitur; non item, qui odit.* Et initio fermè libri, sic iram definit. *ἔστω ἡ ὀργὴ, ὀρεξις μὲν λύπης πτωείας φαινομένης, &c.* *sic igitur ira appetitio vlciscendi cum egritudine coniuñcta.*

Vnde-

Vndecima contradictio. Fatetur Misenus, *se plenum esse timore, ne reditus noster Galliae* ( hoc est, Caluini sectæ, hanc enim Gallia nomine intelligit ) *parum emolumentum adferat* : & tamen negat se ægritudine quapiam ob reuocationem nostram affectum esse. Atqui hoc euenire nequit: si affectionum & perturbationum accuratissimo indagatori & inquisitori Aristoteli fidem habemus; qui ita in Rhetoricis, *ἔστι δὲ φόβος λυπηρὸς ἢ ταραχὴ ἐκ φαντασίας μάλιστα κακῆς. Metus est tristitia ex obiecta specie imminentis mali.* Cùm igitur timens tristetur; non abs re consolatione subleuatur. Quare non video, quàm cohæreant illa tua verba: *Non opus fuerat consolatione tua, ad me præsertim, non tam dolentem, quàm metuentem.* An metuenti nulla consolatio adhiberi potest, qua metus velut pharmaco quodam leniatur, vt maxime metus vel in te, vel in quocunque alio ab omni ægritudine animi vacaret?

Duodecima contradictio. Dicit, *reditum nostrum in Gallias sibi non esse admiratione dignum*; hoc est, nullam admirationem peperisse. At primis statim epistolæ verbis, ait, *se, audita Iesuitarum in Gallias restitutione secum animo perpendisse & disquisuisse, quid nam esset in sapientia diuinæ profunditate reconditum, quod Iesuitæ reuocati essent, antiquato Parisiensi decreto.* Quæ,  
obsc-

obsecro, huius tuę disquisitionis caussa? Que origo? Nonne admiratio? διὰ τὸ θαυμάζειν, inquit Aristoteles, οἱ ἄνθρωποι καὶ νῦν καὶ τὸ πρῶτον ἤρξαντο φιλοσοφεῖν, ἐξ ἀρχῆς μὲν τὰ πρόχειρα τῶν λόγων θαυμάσαντες, εἶτα κατὰ μικρὸν ἄνω προεῖόντες, καὶ περὶ τῶν μεζόνων διαπορήσαντες. Propter admirationem ceperunt homines & nunc & primitus philosophari. Initio enim ea, quę ex dubiis & arcanis obuia erant, admirati, postea paulatim eo usque processerunt, ut & de maioribus dubitare inciperent. Idem omnino tibi vsuuenisse absque temeritate existimo. Admiratione enim tactus & captus ob hunc tibi totique gregi Calvinistico tam insperatum euentum; pigram tuam victamq; mentem sursum erigere, & quę huius reuocationis caussa esset, inuestigare ingressus es; nescio tamen num veram caussam inueneris; hoc scio, eam si inuenisti, literis abs te non esse proditam.

Quanquam dum hæc tecum sermocinor, iniuriam fortasse tibi irrogo: cùm enim, ut ipsemet liberè; consultò & præmeditatè factus es; non sis animal risibile; neq; admiratiuum seu θαυμαστικὸν ζῶον eris. nam omne animal admiratiuum est etiam risibile; & omne risibile admiratiuum. Cùm ergo non sis animal risibile; nec admiratiuum censeris poteris, & quod hinc est consequens, nec rationale. Quid igitur

Aristot. 1.  
Metaphys.

tur

tur es? Habes, Misene, dodecadem antilogiarum breviculæ tuæ epistolæ. Accipe nunc dodecadem mendaciorum eiusdem tuæ epistolæ.

PSEUDOLOGIÆ MISENICÆ  
EPISTOLÆ.

I. Mendacium. *Iesuitas sententia Iurisperitorum Parisiensium, nullo dissentiente, condemnatos fuisse.* Intrepidè dico; hoc esse Misenicum figmentum. certum enim est non paucos ob aduersum Societatis casum vehementer doluisse, & tempestati illi, donec desæuaret, non consensisse; sed coactos celsisse.

II. *Iesuitas fuisse eiectos toto regno.* Atqui ex undecim vel duodecim collegiis Gallie nunquam extulerunt pedem. Nominaui omnia collegia in altera Apologia. Dices. Nos eiectos esse ex tota Gallia decreto & sententiâ. At tu de actu loqueris; & ideo falsum loqueris.

III. *Nos eiectos esse maxima omnium fermè lætitia.* Si de omnibus Calvinistis loqueris, non accuso te mendacij. Poteras tamen illud fermè omittere; quia puto nos maxima non fermè, sed simpliciter omnium Calvinianorum lætitia ex Gallia eiectos esse. Si loqueris de omnibus fermè Catholicis; facis, quod soles;

les; nam nobilissimæ ciuitates, in his Burdegalensis & Tolosana, nostros nunquam dimittere voluerunt, & Parisiensi decreto sese pro nobis summa beneuolentiæ significatione opposuerunt. & quâto Catholicorum in Gallia gaudio expulsi simus, satis testatur reuocatio nostra; qua vix promulgata; vrbes amplissimæ & primariæ non pauca Regi pro Collegiis erigendis supplices libellos obtulerunt. Sed non est opus refelleretuum mendacium, quando tu ipse refellis. *Si omnium fermè latitia eiecti sumus ex Gallia*, vt tu ais; vnde ergo tot apud Christianissimum Regem ex clero & Antistitum ordine intercessores & deprecatores pro nostro reditu; quot tu ipse tua in epistola indicas?

IV. Parum abfuisse, *quin Galli Iesuitarum culpa serent Hispanorum serui*. Putidum & millies in Apologiis Gallicanis & meis refutatum commentum. Nihil aliud vnquam quæsitum aut cupitum est; quàm vt ne Calviniana secta Catholicam Religionem, vt in Anglia, perfundaret. Nihil aliud quæsitum aut cupitum est, quàm quod iam Deus Galliis benignissimè & clementissimè concessit, nimirum, vt Rex Catholicus & orthodoxus potentissimum illud regnum obtineret & moderaretur; in quo piorum desideriiis cumulatissimè

B

Deus

Deus satisfecit; hoc tam inuictō, magnanimo, & Heroico Principe ad sceptrā liligera, simulque ad auitæ religionis professionem vocato.

V. *Nos omnia cogitare, dicere, facere, quæ conducant ad Antichristi maiestatis amplificationem: etiam si obtruncandi sint Reges.* Mentiris, vt Calvinista impudens & effrænis. Plus dicere nequeo. Plus dicunt Apologiæ & nostræ & nostrorum contra huiusmodi Misenicæ & Prædicanticas iam sexcenties decantatas Pseudologias. Audi, Misene; tantum abest vt vlli Regum Principumue interitum moliamur; vt pro cuiusuis Regis Catholici, vel etiam à Catholica religione alieni, sanguine tamen nostro ad Ecclesiæ gremium reducendi incolumitate & salute, parati simus obtruncari siue tua, siue cuiuscunque alterius sectarij truculenta & sanguinolenta manu.

VI. *Nos non absolutos esse hac reuocatione falsis criminibus, quæ nobis intentârunt Prædicantes: imò adeò absoluti sumus; vt maiorem absolutiōnem ne optare quidem potuerimus, etiam si nobis optio data fuisset.* Absoluit nos Rex Christianissimus; non temerè, non præcipitanter: sed post aliquot annorum maturam & accuratam deliberationem. Absoluit nos Curia Parisiensis; reuocato priore decreto.

Quam

Quam tu maiorem & honorificetio-  
 rem ab-  
 solutionem desideras? An vis ut veniamus ad  
 te tuosque Prædicantes, & ad Paræi *mystacem*;  
 neque interea nos absolutos censeamus, do-  
 nec à vobis albos calculos referamus? Falle-  
 ris, Misene; Tanti Regis vnicum verbulum &  
 vnicus pro nobis nutus dissipat, & dissi-  
 cit omnes vestras, quamuis montium instar ex-  
 aggeratas criminationes. Ipse Rex inclytus  
 facinoris, de quo vociferaris, culpam in nos  
 nunquam contulit. Hoc nobis abundè satis  
 est. Clama, tona, boa, interim pro nobis stat  
 Rex Christianissimus; contra nos vilissima  
 musca Misenus: Vter pluris æstimandus? Etsi  
 vereor, ne iniuriosus sim in Regem inuictis-  
 simum; quando vel ludens quæro, cuius iu-  
 dicium pluris faciendum sit?

VII. *Nos antea Galliam bellis ciuilibus turbasse.*  
 Mendacium hoc iam sæpius profigauimus.  
 Prædicantes nobiscum agunt sicut cum He-  
 lia Achab; quo viso, aiebat. *Tunc es ille, qui con-*  
*turbas Israël?* Cui Propheta animo imperter-  
 rito: *Non ego turbavi Israël; sed tu & domus patris*  
*tui, qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis*  
*Baalim.* Tu, tu Misene, & domus Caluini tui,  
 qui dereliquistis mandata Domini, turbastis  
 Galliam, Belgium, Germaniam, & hoc ipso  
 tempore Hungariam, quasi à Turcis non sa-

3. Reg. 18.

tis turbata esset. Vbicunque enim Principes  
 licentiæ vestræ, Euangelij specioso titulo fu-  
 catae, liberas habenas non permittunt mox  
*tympana tenta sonant, & tuba dat taratantara;*  
 omnesq; *arma, arma fremunt.* Notus est genius  
 vester, qui si tantum posset, quantum auer;  
 quis à vestro furore tutus esset? Sed vt Petrus  
 gradens supra mare non est submersus; etsi  
 videbatur submergendus, Domino manum  
 opportunè porrigente; ita & Petri nauicula,  
 hoc est Ecclesia, ab hæreticis turbinibus sæ-  
 uisq; presteribus agitata videtur interdum  
 submersioni vicina; sed subsidio accurrit Do-  
 minus; memor promissi sui, quo se Petro ob-  
 strinxit: *Et porta inferi non preualebunt aduersus*  
*eam. Ecclesia etsi vndarum fluctibus aut procellis saepe*  
*vexatur, inquit S. Ambrosius, tamen nunquam*  
*potest sustinere naufragium. quia in arbore eius, id*  
*est, in Cruce, Christus erigitur, in puppi pater residet*  
*gubernator: prorã paracletus seruat spiritus. Hanc per*  
*angusta huius mundi freta duodeni in portũ remiges*  
*ducunt, id est, duodecim Apostoli, & similis numerus*  
*Prophetarum, &c. Inde nullo modo in illud bara-*  
*thrum, quasi Dathan & Abiron, id est, in profundum*  
*mortis Ursacij & Valentis (Lutheri & Zvinglij)*  
*incurrimus. Inde Arium (Caluinum) Archipira-*  
*tam, qui nos per mare seculi ad instar Pharaonis in-*  
*sequitur, non timemus, illam stellam seruantes in cae-*  
*lo,*

S. Ambros.  
 lib. de Sa-  
 dom. cap. 4.

lo, quæ Magos perduxit ad Christum, per quam nos regnum Dei, qui malorum omnium futurus est portus expectat, &c. Inde nobis Aquilo nocere non poterit, quamuis inde sint Antichristi violenta flabra ventura (imò & iam venerint in Luthero) sicut scriptum est: Ex aquilone exardescunt mala. Inde syrtes gentilium, & periculosas hæreses, & scopulos euitamus, quos superiacens aquæ tenuis occultat allapsus. quia hæretici sub pretextu nominis Christiani absconsa perfidiæ saxa fallaci confessione oris obducunt, in quæ homines, dum illis, quòd Christiani sint, fides adhibetur, impingunt. Hæc ergo nauis Ecclesia est, quæ etsi quotidie seculum istud tanquam aliquod pelagus sortitur infestum, nunquam eliditur ad saxum, nec mergitur ad profundum. Hæc S. Ambrosius.

VIII. Nos prodidisse Gallos.

IX. Et sanguine Regis pollutas manus habere. Nil opus hîc mea refutatione; Refellit hæc mendacia ipse Rex Christianissimus; tum ipsa Ordinis nostri restitutione; tum edictis & dictis pro innocentia nostra aduersus aduersariorum criminationes potentissimis, efficacissimis, & honorificentissimis; quæ si semel lucem adspexerint; ingentem crucem tibi adferent; & insolabilem dolorem parient. Refellunt insuper hanc extremam Miseni vanitatem amplissimæ Respublicæ Galliæ; quæ partim nostros semper retinuerunt, & pristi-

na beneuolentia, amorisq̄ue significatione  
amanter fouerunt; partim à Rege suo suppli-  
cibus libellis & contenderunt, & adhuc con-  
tendunt, vt Collegiorum excitandorum po-  
testas fiat: multarumq̄; votis iam à Rege sa-  
tisfactum est; & quibus satisfactum non est,  
id non euenit; quia Rex noluerit, sed quia  
nostrorum paucitas omnium desideria ex-  
plere nequit. Putásne Gallix incolas hoc af-  
fectu in nostros fore; si criminum, quorum  
tu terræ filius nos insimulas, rei vel essemus  
vel fuissimus? Mirum dictu, mendacia in tuo  
tuorumq̄ue animis tam altas egisse radices,  
vt nulla auctoritate, nulloq̄ue testimonio, e-  
tiam regio, amplius euelli possint. Flexia,  
sua in natali vrbe, condidit Christianissimus  
Rex Societati Regium planè Collegiū. Scho-  
las adiecit; quas iam vitrà mille auditores  
frequentant; vt certa multorum relatione  
didicimus. Domicilia, ex quibus expulsi era-  
mus; reddi iussit. Noua alibi construxit. Ve-  
tera semperq̄ue inhabitata confirmauit. Ar-  
gumenta omnia, quibus nonnulli Iesuitarum  
in integrum restitutionem remorari tenta-  
bant, validissimè dissoluit; & obices omnes  
potenter amouit: Sacerdotem ex ordine no-  
stro; semper in Regia habet; quo in sacris  
concionibus vtitur. Denique ea & egit & agit  
pro

pro Societate nostra Rex inuictissimus; vt ingenuè fateamur, nos his tãti Principis tantis beneficiis repensandis prorsus esse impares; adeò tamen obstrictos; vt pro tam eximij patroni incolumitate & salute, proque Galliarum felici statu, non modò illi, qui in Gallia degunt; sed & nos, qui extra illam; parati sumus expendere; quidquid à religiosæ vitæ professoribus gratæ mentis testandæ gratia proficisci, expeti & exspectari potest.

X. Dicit me nosse, *quæ ante decem annos in Societate Parisiis subdolè structa & tentata fuerint.* Nihil profectò subdolè structum tentatumque noui. Hoc scio, omnes Societatis nostræ intra & extra Galliam nihil aliud continuis precibus à Deo flagitasse; quàm vt Gallia auitam religionem sartam tectamque retineret; Regemque antiquis illis Clodoueis, Pipinis, Carolis, Ludouicis, aliisque Heroibus parem, studioque prisce fidei & sedis Apostolicæ obseruantia assimilem adipisceretur. Quod diuinitus concessum esse lætatur non tantum Gallia, sed & vniuersa Ecclesia.

XI. Dicit me iactare, *nos perpetuo in Gallia mansuros.* Nunquam hoc dixi multò minus iactaui. Satis nobis est, nos restitutos esse; & quidem à tanto Rege; cum approbatione præcipuorum Ordinum, & amplissimarum

ciuitatum gratulatione & applausu. Cætera Deo commendamus. Nos sedulò operam dabimus, ne nostra culpa vnquam eiiciamur. Si ab Hæreticis exturbemur, gloriæ id nobis erit, non dedecori. Faciemus quod Christus iussit. Si persecuti vos fuerint in vna ciuitate fugite in aliam. Scin quis ille, qui pulsus in exilium protulit ista? *Testor Deos Deasq; omnes immortales, vestrasq; maximè mentes, me non vitæ turpitudine, non pro magnitudine scelerum, non propter reliquæ ætatis infamiam pœnas iure & lege persoluere; sed propter virtutis inuidiam, propter iucundissimam ingenij laudem, propter magnitudinem rerum gestarum, crudelissimè ciuitate priuari. Quod si idem accidit Q. Cepioni, si Mancino, si Rutilio, mihi quoque hoc accidisse non magnoperè erit mirandum: cum præsertim non generis antiquitate, sed virtutis ornamentis summam laudem sim consecutus.*

XII. *Non contemnendam Gallie partem, multum plorare iussis Papæ traditionibus, veritatem Evangelicam, hoc est, Calvinianam, amplecti. Quod manifestè falsum? Quantula enim Gallie portio est illa; quæ Calvinianum virus imbibit? Quantuli qui Calvinum in deliciis habent; si conferantur cum illis principibus, & populosissimis atque opulentissimis ciuitatibus, qui Calvinum iure optimo,*  
tan-

tanquam pestiferum heresiarcham execrantur.

Ut taceam, Caluinum in Gallia propemodum ad incitas redactum, nobilissimorum hominum quotidiano ad Ecclesiam Catholicam transfugio? Nam ut olim ad Dauidem, tametsi adhuc à facie Regis Saul profugum, quotidie fortissimi & prestantissimi qui se se conferebant; ita & hodie in Galliis, (pro ut fert fama non obscura) & generis & eruditionis laude eximij non pauci cum Deo, & Ecclesia in gratiam redeunt. *Hi quoque venerunt ad Dauid in Siceleg, inquit sacra Scriptura, cum adhuc fugeret Saul filium Cis, qui erant fortissimi & egregij pugnatores, tendentes arcum. & utraque manu fundis saxa iacentes & dirigentes sagittas, &c. Sed & de Gaddi transfugerunt ad Dauid, cum lateret in deserto, viri robustissimi & pugnatores optimi, tenentes clypeum & hastam, facies eorum, quasi facies leonis, & veloces quasi caprea in montibus.* Comparatione horum, quid sunt excullati quidam cuculi, qui ad Caluini caeam interdum auolant. Mihi mirificè placet, quod de Friderico I. huius nominis commemorat auctor, qui expeditionem eius in Palaestinam in literas retulit. *Imperator rumore accepto de quorundam apostasia, sic ad nostros dicitur fuisse locutus. Oportet in exercitu nostro cribrari gra-*

num de palea, & mundari. Vix aut nullatenus arri-  
deret nobis aliqua fortuna prosperitas, quandiu isti  
essent apud nos, qui sic apostatando filios perditionis  
& Diaboli se esse demonstrant.

En Misene dodecadi epistolicæ tuæ Pseu-  
dologiæ: non quia plures excerpere & anno-  
tare nequiuerim; sed quia duodenario con-  
tentus esse volui. Nunc ad conuicia; quæ  
mendaciis, ornamenti gratia; tanquam an-  
nulo gemmas iungis.

CONVICIA ET CALVMNIAE  
MISENICAE EPISTOLAE.

**R**IMÒ, impetum dat in ipsum Re-  
gem, quem ait, *fortè non volentem, sed  
nolentem Iesuitas reuocasse.* Quæ non  
vulgaris est in tantum Principem calumnia  
& iniuria. Audi, Misene; non tantum volens,  
& libens; sed si ita loqui licet, etiam *volentissi-  
mus*, benevolentissimus & libentissimus So-  
cietatem regno suo reddidit; quod testatur  
Regis edictum, de quo in *Consolatione* plura:  
& Societatis grauissima defensio apud illos,  
qui initiò Regis decreto intercedebant; po-  
stea benigniorem mentem ipsi etiam com-  
plexi. Planè confido, fore, vt aliquando, quæ  
Rex pro Societatis innocētia & honore cum  
omnium admiratione differuit ac perora-  
uit;

uit; Gallicè in lucem exeant: quæ vt intelligas, si Gallicę linguę ignarus es, non grauatè in Germanicam aut Latinam linguam vertenda curabimus.

II. Parisienses Iureconsultos, & omnes Catholicos vniuersim appellat *Antichristi mancipia*. IV. *Idololatrias*. V. *Artolatrias*. VI. Pontificem Romanum; *Ausonium Beelzebub*. VII. *Iesuitas exploratores Ausonij Beelzebub*. VIII. *Impostores*. IX. *Seductores*. X. *Veritatis inimicissimos*. XI. *Omnis pudoris expertes*. XII. *Impurorum dogmatum Doctores*. Et quid non? Ad quæ nil respondebo, nisi quæ dixisse scribit B. Ambrosius sanctum illum & patientem Iob; cum ei opprobriis & insultationibus, qui consolatum venisse videbantur, molesti essent. *Ecce video in opprobriis, & non loquar, nec respōdebo conuiciis vestris. Nō enim vos estis, qui iudicatis, sed qui iudicat me, Dominus est: & ipsius tamen iudicij tempus nondum aduenit. Quid opus clamare ante iudicium? Bonum est tacere, dum exspectatur, qui iudicat. Bonum est conuicium conuicio non referre, ne & nos inter detrahentes annumeremur. Imitemur ergo hunc virum, monet S. Ambrosius, qui silentio suo redarguebat conuiciantes: ostendebat enim virtutem animi sui, quem contumelia non mouerent, & conscientie innocentiam manifestabat; qui obiecta non recognosceret, sed quasi aliena rideret.*

*S. Ambros.  
lib. 2. de in-  
terpell.*

Cum

Sen. lib. 3.  
de ira.

Cum Catoni causam agenti, ait Seneca, in frontem mediam, quantum poterat, attracta pingui saliva, inspuisset Lentulus, absterxit faciem; & affirmabo, inquit, omnibus Lentule, falli eos, qui te negant os habere. Idem & ego de Miseno, eiusque conuiciorum sputamenti dicam.

Monebat veterum quidam suos, ut conuiciatores non aliter audirent, quam si dicerent;

ὦ ξένοι

ἐπεὶ ὅτε κακῶ, ὅτ' ἀφρονι φωνῆ ἔοικας

ἔλέτε καὶ μέγα χαῖρε, θεοὶ νύ τοι ὄλβια δόξεν.

Quos versus sic reddidit interpres.

Hospes non mihi tu malus insipiensque videris.

Vive, vale letus, tibi Dii dent prospera multa.

Huius monitis libens obtempero, quoties Misenus linguam in conuicia soluit.

Etiam Propheta factus est Misenus; sed Baaliticus. Futura nunciat; sed Baaliticè. Assumptis cornibus cum parabola sic vaticinatur ex tripode Caluiniano.

### Prophetia Misenica.

Prima Prophetia. Iesuitas in Gallia concionantes aut rem diuinam facientes, has voces prolaturus esse o Rex. & vos reliqui, qui maximam in Gallia dignitatem obtinetis, euicite hereticos, euicite Caluinistas, quippe impios & Epicureos: reliqui autem Pape Romano fidem habentes, quod felix faustumque sit, idolatria

*lolatria & artolatria* initientur. En quàm acuta mentis acies huic fatidico vati. Arcana mentium; & quod mirabilius, necdum exstantia, nouit; nec nouit tantum; sed & pandit; vt pariter noscamus. Sed quid si spiritu mendaci instinctus hæc præcinuit? Quis dubitet? Nam vt Iesuitæ suo munere in Galliis fungantur, cuius gratia à maximo Rege clarissimoque Parlamento reducti, & ab amplissimis ciuitatibus expetiti sunt; & adhuc expetuntur: non opus est, vt in tragicas, illas exclamationes prorumpant, proponendo clarè, distinctè, ornatè Catholicæ veritatis pulchritudinem; & sedatè refellendo & conuellendo sectæ vestræ vanissimam imperitiam & insipientiam; idque palam, & publicè in cathedris Scholasticis & Ecclesiasticis; itemque iuuentutem bonis literis & moribus assiduè & fideliter informando; vocationi suæ abundè satisfaciunt; & à synagoga vestra prædam expectatam strenuè auertent: vt proinde exclamationibus & obtestationibus *Prædicantium propriis* absque causæ Catholicæ detrimento supersedere possint. Dico, *Prædicantium propriis*. An non enim in Saxonia & passim alibi vociferantur; ô Princeps, vosque, qui ad Reipublicæ clauum sedetis, expellite Calvinianos. Exterminate impios & Epicureos?

reos? Nonne hæ voces expulerunt te ex Mis-  
 nia in Palatinatum? Nonne tam isti Luthera-  
 ni, quàm tui Caluiniani Stentoreis vocibus,  
 vbi rerum potiuntur, intonant: *Eiicite Papi-  
 stas; profligate Iesuitas.* ἐκασὲν ἐκασὲν ἔσε βέλῃλοι. *Foras  
 Papista, foras Iesuita.* An non istę tuorum Sym-  
 mystarum cantiones exturbarūt omnes Ca-  
 tholicos ex ditionibus vestris? An non tam  
 altè in vestra pectora descenderunt; vt Iesui-  
 tarum quispiam vix via regia & publica vitæ  
 securus per prouincias à Caluini pestifera  
 aura afflatas, iter agere possit; & quidem in-  
 dies minus. Quia Caluini spiritus caueæ tam  
 diuturnæ inclusus; exire in publicum; sitim-  
 que restinguere Clerico & Iesuitico, cruore  
 gestit.

II. Prophetia. *Iesuitas denuò Galliam turbatu-  
 ros.* μάνη κακῶς. *Denuò non turbabunt; quia an-  
 tea nunquam turbarunt. Tu, tu, & domus  
 Caluini tui regnorum turbatores estis. Tu,  
 tu, inquam Misene, vates Baalitice. Vin afferri  
 noctuam, inquit Comicus, quæ tu, tu, vsque dicat  
 tibi, nam nos iam defessi sumus.* Qui his ipsis  
 mensibus turbauit Hungariam, eamque le-  
 gitimo Domino; Augusto Imperatori eripe-  
 re conatus est; is antea in tempestates conie-  
 cit Galliam. Quis ille? Quis, nisi Lutheranus  
 & Caluinianus spiritus? Turcismi & Tartarif-  
 mi

mi frater? propterea Turcæ & Tartari tam cupidè huic spiritui in aciem prodeunti suppeditatum accurrerunt? Sed gratia Deo & Dei-  
paræ Virgini; Pannoniæ protectrici: reliquis-  
que cœlitibus; quorum ope & favore remis-  
sus est cum copiis suis eò vnde exstiterat; ad  
loca, vbi *Ferrei Eumenidum thalami, & discordia  
demens; Vipereum crinem vittis innexa cruentis.*

Scribit Ioannes Thvvrozius in Chronicis  
Hungaricis; Hungaros recēs ad fidem Chri-  
stianam traductos, impostorum quorūdam  
persuasionibus eò processisse; vt retrò ad pa-  
ganismum respectarent; manuq; facta; arma-  
ti abs Rege suo hæc postularent. *Concede nobis  
ritu Patrum nostrorum in Paganismo viuere; Episco-  
pos lapidare; Presbyteros exterminare, Clericos stran-  
gulare, decimatores suspendere, Ecclesias destruere,  
campanas confringere.* Honestissima profectò  
postulata; & digna, quibus Rex Christianus  
annueret. Cùm, vt par erat, nollet; ferro fran-  
gēda fuit ferro iam cincta improbitas. Quis  
belli illius Auctor? Rex pius, an profanitas  
subditorum? Quid aliud precatur spiritus  
Caluinianus; quàm illud ipsum; quod petie-  
runt desertores illi Hungari? *Concede nobis in  
Euangelio nuper nato viuere; Episcopos exterminare,  
Presbyteros, Clericos, Monachos, & ante omnes, Ie-  
suitas, laqueo aut gladio enecare; Ecclesias expilare;*  
&

&

*& in stabula vel horrea commutare; companas in bombardas vertere; calices in cyathos: Sacra vasa in pocula. Vbi Turcicis hisce hæretici genij desideriiis non annuitur; mox Tartaream Bellona tubam inflat, & rauco strepūt cornua cantu, & tunc tempus equos, tunc poscere currus, vel potius hastas & sclopos.*

III. Prophetia. *Iesuitas iterum ex Gallia expulsam iri.* Tam vera scilicet, quàm erat prior illa tua, Iesuitas in Galliam nunquam reuocatum iri. Mentitus es antea. Cur non & iam mendax habearis? Decepisti & deceptus es antea; cur non & modò? Nos, Misene, hoc tempore in diuinæ prouidentia suauissima dispositione, & in maximi Regis pro Societate nostra decreto libenter conquiescimus. & quia tales Prophetæ, qualis tu, nequaquam sumus; de futuris nihil certò scimus; sed benè confidimus: speramusq; , dum Catholicis in Gallia locus erit; nobis itidem locum fore: illud etiam de diuina clementia nobis firmiter pollicemur, nunquam futurum, vt nos orthodoxis, causam expulsionis præbeamus. Nam si à vobis eiiceremur, id non magis mirum foret, quàm si calor potentior, expellat frigus debilius; nulla pax vobis dum Calviniani estis, nobiscum vnquam erit, nulla concordia. *Ante lupos rapiunt hædi,*

hædi, vituli antè leones, Delphini fugient pisces, aquila antè columbas, Et conuersa retro rerum discordia gliscet.

Quare quidquid siue in Gallia, siue alibi ex Hæreticorum violentia & truculentia nobis acciderit; clamabimus cum illo. *Vim volunt afferre? præsto sum. Eicere volunt? Exeo indicta causa. Nolunt audire? causam non dico. Aliud quidpiam conantur? Agant. Nihil duri, nihil acerbi mihi erit, quod Rempublicam (Ecclesiam) tutabitur. Non enim illis victis cedo, sed incolumibus vobis (Orthodoxis) me condono: neque enim mors miseranda est, quæ ob Rempublicam (Ecclesiam) capitur; neque exilium turpe, quod virtute suscipitur, cum præsertim nonnullam hæc pœna habeant in se consolationem. Nam vitam si eripiunt, nõ adimunt gloriam immortalem: si exilio multabunt, corpus, non animum à Republica (Ecclesia) remouebunt. Nam vbi-  
cunque ero, hoc cogitabo, hac semper cura mea erit; meq; vobis (Catholicis Galliæ incolis) ereptum, non à vobis repudiatum existimabo.*

IV. Prophetia. Forsan post Davidis mortem, Salomonem aliquem exoriturum, qui necem eorum, quos Ioab iniuste occidit, vindicaturus sint. Admodum mysticus & allegoricus fit Propheta noster lapideus. Commentario ergo opus est; vt inuolutæ allegorię euoluantur. Post inuictissimum istum Regem Societatis nostræ de-

C

fenso-

fenforem, & in Galliis restitutorem, auguratur Misenicus aruspex, fore Regem, qui alio in Iesuitas sit animo; (nam qui iniuste à Iesuitis occisos vindicet, nullus erit; nec esse poterit; cum quos Iesuite peremerint, nullus vnquam iuste sit reperturus aut nominaturus.) Sed falleris, ô vane vates. Multi anni Regi Christianissimo. *De nostris annis Regi Deus augeat annos. Serus in cœlum redeat, diuq; Latus interfit populo Pipini, Neue te nostris vitiis iniquam Ocyor aura Tollat, hinc magnos potius triumphos, Hic amet dici pater atque princeps.*

Sed tamen, cum, qui fatali necessitate omnes præstolatur vitæ finis, aduenerit; non deerit, qui tanti Regis solium in æquitate & iustitia teneat: Iam enim ex nobili arbore aureus succreuit, indiesq; felicibus incrementis succrescit ramus; qui traditam sibi fidei & Societatis nostræ tuendę lampadem non patietur vnquam exstingui, *pacatumq; reget patriis virtutibus orbem.* Et vt hoc solandi tui gratia adiiciam, iam Serenissimus DELPHINVS patriam pietatem imitatus, Societati IESV VIENNÆ, nobilissima ciuitate, in signe Collegium erexit: vbi superiore autumno Scholæ, auspiciis tanti Principis, apertæ sunt, magno vrbs illius applausu; & studiosæ iuuentutis frequenti accursu.

V. Pro-

V. Prophetia. *Iesuitas tantis beneficiis ingratos fore. At ego te mendacē & esse, & cum his Prophetiis tuis perpetuò fore pronuncio. Quod summus Orator post reditum ab exilio populo Romano pollicitus est, idem nos pollicemur Gallia; eiusq; Christianissimo Regi Henrico IV. Quid igitur maximus ille orator? Memoriam vestri beneficij colam benevolentia sempiterna, non solum dum anima spirabo mea, sed etiam cum mortuo monumenta vestri in me beneficij permanebunt. In referenda autem gratia hoc vobis repromitto, semperq; prestabo, mihi neque de Republica in consiliis capiendis diligentiam, neque in periculis à Republica propulsandis, animum, neque in sententia simpliciter referenda, fidem; neque in hominum voluntatibus pro Republica ledendis, libertatem, nec in perferendo labore industriam, nec in vestris commodis augendis gratam animi benevolentiam defuturam: atque hæc cura erit infixæ animo meo sempiterna. Quam ergo operam fidemque ob acceptum reuocationis beneficium promisit M. Tullius Quiritium temporali Reip. hanc nos, ceu Religiosos decet, promittimus Gallicanae Ecclesiae; atq; adeò Reip. quia bonum Ecclesiae, ad Reipub. commodum permanat.*

VI. Prophetia; quam non reprehendo, sed obuiis vlnis amplector. Vaticinatur nos, aliosque Catholicos nobiscum, hymnos Deo

& Deiparę Virgini decantaturos ob nostrum in Galliam reditum. Vera hęc canis, Misene; Deo Cœlitibusq; hymnos cecinimus; & adhuc canemus; laudesq; & grates debitas perpetim persoluemus ob hoc cœleste, & contra expectationem vota; vestra impartitum nobis beneficium. Quod eò gratius & dulcius est; quo clarius animaduertimus; quàm de Ecclesia bene mereri cupientibus molestum sit, carere amplissimo illo nobilissimarum ciuitatum teatro, ex quibus exire iussi eramus. *Et si homini nihil est magis optandum, inquit Oratorum præcipuus, quam prospera æquabilis, perpetuaq; fortuna, secundo vita sine vlla offensione cursu, tamen si mihi tranquilla & placata omnia fuissent, incredibili quadam & pœnè diuina, quæ nunc, vestro beneficio, fruor, lætitiæ voluptate caruissem.* Simile quid de Societate nostra dicere licet.

Cur ergo hymnum *ὁμολογιῶν* & regressio- nis vocibus elatis non concinat; & ad concinendum omnes orthodoxos inuitet? Et quidem hymnum, a B. Dauide præstantissimo Hymnographo, desumptum. *Omnis terra adoret te, & psallat tibi: Psalmum dicat nomini tuo. Venite & videre opera Dei, &c. qui conuertit mare (illud illud ærumnarum) in aridam, (hoc est, in pacem & tranquillitatem). Qui dominatur in*  
virtute

*Psal. 65.*

virtute sua in aeternum, &c. Benedicite gentes Deum nostrum, & auditam facite vocem laudis eius: Qui posuit animam meam ad vitam, & non dedit in commotionem pedes meos. Quoniam probasti nos Deus: igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra. Transiimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Introibo in domum tuam in holocaustis, reddam tibi vota mea, quae distinxerunt labia mea, &c. Venite & audite, & narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit anima mea. Ad ipsum ore meo clamaui, & exultaui sub lingua mea: Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus: propterea exaudiuit Deus, & attendit voci deprecationis meae. Benedictus Deus qui non amouit orationem meam, & misericordiam suam à me. Hic Hymnus noster ἐμβαθήει, & vt sic appellem, regressorius, erit. Qui si molestiam tibi creat, clauda aures, non enim dicam, amputa. Obtura, satis est. Hec de Prophetiis Miseni, quarum quod pauciores sunt contradictionibus, mendaciis & conuiciis, id ne mireris. Nondum Misenus noster in prophetando tam exercitatus est, quam in sibimetipsi contradicendo, & calumniando. Nunc ad alia.

PHARMACVM PRO IRATO  
MISENO.

**A**IT Misenus, se non dolere ob nostrum in Galliam reditum, sed potius irasci & timere. Medeamur igitur iræ & timori. Iam enim antea dolori eius medicinam porreximus; quanquã negat se dolere. Sed quidquid dicat; insolabiliter dolet; cumque Nafone ex Ponto lamentabili næniâ quiritatur.

*Tempore ruricola patiens fit taurus aratri:*

*Præbet & incuruo colla premenda iugo.*

*Tempore paret equus lentis animosus habenis:*

*Et placido duros accipit ore lupos.*

*Tempore Pœnorum compefcitur ira leonum:*

*Nec feritas animo, quæ fuit ante, manet.*

*Quæq; sui iussu obtemperat Inda magistri*

*Bellua, seruitium tempore victa subit.*

*Tempus ut extentis timeat facit vva racemis:*

*Vixq; merum capiant grana, quod intus habent.*

*Tempus & incanas semen producit aristas:*

*Et, ne sint tristi poma sapore, facit.*

*Hoc tenuat dentem terram findentis aratri.*

*Hoc rigidos silices, hoc adamantæ terit.*

*Hoc etiam sevas paulatim mitigat iras:*

*Hoc minuit luctus, mœstaq; corda leuat.*

*Cuncta potest igitur tacito pede lapsa vetustas.*

*Præterquam curas attenuare meas.*

Hæc

Hæc Miseni oda est à summo dolore, quem ob reuocationem nostrâ in Gallias, in Caluinistico suo pectore concepit, extorta. At mittamus dolorem, iram curemus: eiusque ante omnia causam indagemus: nam *vt medici caussa morbi inuenta, curationem esse inuentam putant: sic nos, caussa ira reperta, medendi facultatem reperiemus*, vt præclarè ait Cicero, nisi forte Misenus ita comparatus est, vt nolit sibi fieri medicinam ob dulcedinem, quam ira adiunctam habet. nam vt Aristoteles ex Homero testatur, ira *πολύ γλυκίων μέλιτι & καταλειβομένοιο ἀνδρῶν ἐν στήθεσιν ἀέξει*, melle liquente suauior humano succensa in pectore gliscit. At si Misenus noster sapere cupit, haud ita affectus erit; quia iræ dulcedo admodum noxia est, vt & iræ *συνέχεια, continuatio & assiduitas. ἔξιν γὰρ ἐμποιεῖ πονηρὴν τῆ ψυχῆ, ἢ ὀργιλότητα καλῶσιν εἰς ἀπροχολίαν, καὶ πικρίαν, καὶ δυσκολίαν τελευτῶσαν*, vt docet Plutarchus. *Ingenerat enim animo malum habitum, quem iracundiam vocant, desipientem in irascendi facultatem, amaritudinem, & morositatem.*

Quas igitur Misenus irascendi causas habuit? optimus naturæ interpres, omniumque disciplinarum magister Aristoteles docet libro secundo Rhetoricorū, fontem & originem iræ esse *ὀλιγωρίαν, neglectum*. Neglectus au-

tem tres statuit species, *καταφρόνησιν, ἐπιηρασιμόν, καὶ ὕβριν, contemptum, incommodationem & contumeliam seu iniuriam?* Tres istæ species nostro itidem Miseno bilem mouent. Nam Christianissimus Rex inconsulto & inscio Miseno restituit Iesuitas. An non insigniter contemptus est Misenus, quòd Rex suo in regno hoc ausus fuit; non exquisito prius consilio Misenico? Quæ maior *καταφρόνησις* excogitari potest, quàm ista; quod talis ac tãti viri, qualis Lithus noster est, à Rege potentissimo nulla ratio est habita? An non igitur perspicuè nunc Misenicæ iræ causam intuemur? et si necdum totam & adequatam?

Altera neglectus species, procreatrix iræ, est *ἐπιηρασιμός* seu *incommodatio*, quam definit Aristoteles. *ἐμπόδιον τῆς βολῆσαι, obicem & impedimentum consilii & cogitationibus obiectum & oppositum.* An non ex hoc itidem capite sat causæ irascendi Miseno suppetit; cuius, Calvinismum quàm latissimè per regnum Galliaë propagandi conatibus, cogitatis, votis, desideriiis, & machinamentis Rex Christianissimus Iesuitas vnà cum aliis religiosæ vitæ professoribus opposuit?

Tertia neglectus species est *ὑβρις*, mater & ipsa iræ. Quanta contumelia, quantaque iniuria affectus est Misenus; quod Rex Christianis-

stianissimus, ipso inuito & reluctante, pristinis sedibus Iesuitas reddidit? Quanta hæc præclari Lithi dehonestatio; quæ contumeliæ effectus quidam iudicatur; ὕβρις ἢ ἀπείθεια; contumeliæ proprium est detrahere alteri dignitatem; ut ait Aristoteles. Volebat Misenus Iesuitas in omnem æternitatem ex Gallia exclusos: volebat Calvinismo nullum obiici obicem, nullumque frenum iniici, quo minus liberè quoquo versum, sese diffunderet. En his Miseni desideriiis medius nunc interuenit Rex inclytus, eorumque quasi cursum progressumque interrumpit & abrumpit? Quæ fieri posset, ut non irasceretur Lithus?

Nam tunc irascimur, cum quis nulla habita nostri ratione, appetitionibus nostris aduersatur. Siue igitur qui ei directò aduersetur, inquit Aristoteles, ut si sitienti obstet, ne bibat; seu non planè directò, peræquè tamen idem facere videtur. Et siue contrà tendat quis, siue etiam non adiuuet, seu qua alia in re molestus sit ita affecto, iis omnibus, qui ita affectus est, irascitur. Quare & qui agrotant (peste Calvinistica) & quos inopia (cœlestis cognitionis) vrget, & qui amant (Hæresin) & qui sitiunt (sectas) omninoque, qui quid cupiunt, neque id consequi possunt, iracundi sunt, & facile incitantur, præsertim aduersus illos, qui præsentem ipsorum statum negligunt, &c. prout enim quis-

C 5      que

que affecto ac perturbato animo est, ita in eo, quasi via strata ac munita est ad iram ex hac, aut illare concipiendam. Præterea verò, si contrà expectabat fore. Maiorem enim molestiam inurit, quod valde præter opinionem accidit. Hæc præclare Aristoteles.

S. Ambros.  
lib. de ieiunio  
cap. II.

Venimus ergo ad prima iræ tuæ principia; quibus per Pharmaca idonea sublatis, necesse erit ipsam itidem iram tolli. Quod si boli amariore videbuntur, quam quos deuorare & digerere possis; memineris Ambrosianæ illius commonitionis. Nemo amarioribus præoptet dulciora. Dulcis voluptas videtur; amarum ieiunium. Hoc amaro illud dulce tollatur. Solent amara etiam ipsis plus prodesse corporibus. Sicut cum in intimis puerorum visceribus vermes ex cibi indigestione nascuntur, exstingui non queunt, nisi cum amarior potus infunditur, aut medicamentorum vis inolefcit asperior, quorum odore moriantur. Non es in ira relinquendus; sed sanandus, quantum vires nostræ ferunt. Nolim te nobis, aut Christianissimo Regi perpetim succensere. Pluris enim te, magistrum alioquin de plano & pedaneum, tuamq; iram facio; quam Lutherus auus tuus iratum Ducem Georgium, sempiternæ memoriæ Principem; de quo hunc in modum ad Spalatinum suum scurratur. Sanctus Georgius Dux Saxonie (præcedente

te epistola eundem vocauerat porcum Dresden-  
sem) valde IRA XIT adhuc, vt audio. Proficiat sibi.  
Atque vtinam iraxere velit, donec Papista est. No-  
lim te, vt Lutherano vocabulo vtar, iraxere  
donec Calvinista es. Pone iram, & vince ani-  
mum: & vt ponas vincasque, en tibi ponendi  
& vincendi Pharmaca.

Luth. Tom.  
2. epist. ad  
Spal. fol. 9.

PHARMACA PRO IRA EX SA-  
CRIS LITERIS, ET EX IPSA  
*Miseni epistola.*

**R**INCIPIÒ, voco te hominem ex  
Bibliis quodammodo confutum,  
ad Biblia. Etsi trepidè id facio. Tre-  
pidationem iniicit Lutherus; qui in collo-  
quiis *Mensalibus* ait, se *pestimis modis* odisse mu-  
scas: eò quòd sint imagines Hæreticorum  
& Diaboli. Qua verò ratione Hæreticorum  
imaginem gerant, his verbis, fat profectò  
Lutheranis, docet nos Lutherus. *Quando*  
*pulcher aliquis liber aperitur, mox aduolat & inuo-*  
*lat musca; & podice suo hinc inde circumcursat: quasi*  
*diceret: Hic sedeo, & huc debeo balsamum meum suo*  
*stercus allinere.* Ita Lutherus: Timeo, Misene;  
ne Bibliis expansis facias, quod ab imagine  
tua *musca*, Lutherus fieri scribit: timeo, in-  
quã, ne pulcherrimis scripturæ sententiis fi-  
mum

In Colloq.  
Germ Frã-  
cof. M. D.  
LXXI. fol.  
438. b.

num & oletum peruersæ interpretationis illinas.

Explicemus tamen diuinum Codicem: in quo nō pauca monita ab ira directō dehortantia: Vt: *Desine ab ira, & derelinque furorē. Non te superet ira. Aufer iram à corde tuo. Sol non occidat super iracundiam vestram.* Subditque Apostolus. *Nolite locum dare diabolo:* indicans eum, qui in ira perseuerat, Cacodæmoni stationem concessisse, in qua securus quiescat. Monet quoque S. Iacobus, vt quiuis *tardus sit ad iram.* Et addit causam: *Ira enim viri, iustitiam Dei non operatur.* En, Misene, quàm grande malum ira. Est & hoc Ecclesiastæ oraculum. *Ira in sinu stulti requiescit.* Stultus igitur eris, si requiem iræ præbeas; præbebis autem, nisi quàm primum expuleris. Et quid inde sequetur, nisi illud, quod in Prouerbiis scriptum? *Fatuus statim indicat iram suam.* Iam satis indicasti in epistola irā, & cum ira simul auriculas tuas, aut si non tuas, at Midæ, tibi tamen assutas. Numerat quoque Apostolus iram inter opera carnis. Carnalis igitur censeberis, nisi iræ tuę modum posueris.

Nec plura ex sacris literis congero & suggero; Plura suggeres ipse tibi; etsi metuo, ne te defendas exemplo Dei, cui scriptura iram tribuit: sed num propter reditum Iesuitarum  
in

Psal. 36.

Iob. 36.

Ephes. 4.

Iacob. 2.

Eccles. 7.

Prouer. 12.

in Gallias, qui tibi huius tantæ palamque testatæ iræ amica est causa? Deinde nihil accommodatius, quod tibi reponam, inuenio; quàm illa Casiani. *Nonnullos audiui hunc animæ perniciosum morbum ita excusare tentantes, ut eum detestabiliore interpretatione scripturarum extenuare gestirent; dicentes non esse noxium irasci, cum ipse Deus irasci ac furere dicatur; non intelligentes, quod dum hominibus occasionem pestiferi vitij volunt concedere, immensitati diuinæ ac fonti totius puritatis iniuriam carnalis passionis admisceant. Si irascereris & fureres ut Deus; nemo id tibi vitio verteret. At quia irasceris & furis, ut Misenus, ideo dispiciendum est, quomodo ab hac ægritudine libereris. Quod in luctu dici solet, efficacissime & in ira dicitur, inquit Seneca, utrum aliquando desines, an nunquam? si aliquando, satius est iram relinquere, quàm ab ira relinquere. Sin semper hæc cogitatio durabit, vides quàm impacatam tibi denuncias vitam.*

*Cass. lib. 8.*

*Instit. ca. 2.*

*Sen. lib. 3.*

*de ira.*

Ut ergo ex his fluctibus euadas, post diuinarum literarum oracula & monita, suadeo, ut iræ tuæ mitigandæ Græcam tuam ad me epistolam accuratè perlegas & perpendas. Ut Lutherus post Biblia primas tribuit Aesopo, & Catonianis moralibus distichis; ita tu proculdubio proximum à Calvinianis Bibliis locum concedis tuæ Epistolæ, quam  
cùm

cùm Græca sit, & deuexa iam in tumultum ætate nata; diligis, opinor, instar *πλυγίτη*, & vt oculos tuos. In ea sanandæ iræ tuæ duo præstantissima remedia inuenies. Alterum, *Iesuitas Electis*, hoc est, Calvinianis, *nihil detrimenti afferre posse*. Quid ergo amore tuorum, & metu, ne quid damni patiantur, frustra, ne dicam stultè, irasceris? Alterum, *Iesuitas iterum ex Gallia expulsam iri*. Hac ergo cogitatione & præfensione tua leni animû; & tempera exortas irarum procellas. At cupis, vt id citò fiat, quia iam vicinus es Orco, & Stygius nauita in dies te præstolatur, vt trans irremeabilem vndam vehat. Sed differ etiam aliquid voluptatis ad illam tibi præparatam sedem, nisi Calvinista esse desieris. Quis tandem est, cui omnia in hoc rerum tam variis mutationibus obnoxio statu ad voluntatem vel fluant, vel fluxerint? Quanto gaudio perfunderis, cùm versanti in locis, vbi nullum alioqui gaudium, tibi hîc tam desideratus & exoptatus nuncius afferetur?

Sed progrediamur ad alia medicamina, eaq; ægro alacriter & studiosè adhibeamus: *neque enim sani tantùm esse volumus, sed & sanare*, inquit Seneca; qui etiam sapienter monet, *ne primam iram oratione mulcere audeamus. Surda est*, inquit, & *amens; dabimus illi spatium, remedia in*  
remis-

remissionibus profunt. Nec oculos tumentes tentabimus, vim rigentem mouendo incitaturi, nec cetera vitia, dum feruent. Initia morborum quies curat. Et si hic nullum præcipationis periculum. Sat diu iam durauit ira Misenica. Iam dudum prima esse desiit. Iam vetus est, & fermè annuo spatio corroborata.

PHARMACA PRO IRA MISE-  
NICA EX PLVTARCHO, SE-  
neca, Aristotele.

**N**ON fugit me, quæ Pharmaca leniendæ iræ suæ desideret Misenus; sed Medici non est dare, quod ægrotus expetit; sed quod expedit. Inter cæteras rationes, quibus ira exstinguitur, hæc etiam vana est, teste Aristotele; si quis fateatur se non rectè egisse: dicatque, se pœnitere. *Quasi enim hoc ipsum pœnæ loco sit, quòd dolent se ita fecisse, sedatur ac conquiescit ira.* Atque id notare possumus, ait Aristoteles, cum à seruis pœnas exigimus: eis enim, qui negant, & aduersus nos causam suam defendere conantur, seuiore; at eis, qui se meritò vapulare fatentur, placabiliores sumus. Vellet nimirum Misenus, vt auctores nostræ in integrum restitutionis faterètur se grande piaculum commisisse; cuius se admodum pœniteat; hancq; pœni-

pœnitentiam testarētur ac confirmarent, re-  
petita nostrorum expulsionē. Hęc videlicet  
planissima & expeditissima ratio esset pla-  
candi Miseni, & præsens omnīs irę ex-  
cidium. At frustra, Misene, hoc exspectas re-  
medium. Exspecta pariter, *dum labitur amnis:*  
at ille; *Labitur & labetur in omne volubilis ævum.*

Nunquam irę tuę tam molle emplastrum  
obtinget: vt nec hoc, de quo idem Philoso-  
phus: *Placabiles efficitur iis, qui se nobis adii-  
ciunt, neque verbis aduersantur; videntur enim fate-  
ri se inferiores esse. Conquiescere autem iram aduersus  
eos, qui se abiiciunt, etiam canes ostendunt, qui pro-  
stratos non mordent.* Iucundum scilicet & per  
quam volupe Litho nostro foret, si se patro-  
ni, & restitutores nostri ad Calvinianos eius  
pedes prosternerent; supplicesque veniam  
orarent: tum fluctus concitatos sedaret; tum  
annueret; & nutu totum tremefaceret Olym-  
pum.

Sed hęc & alia nonnulla, quę Aristoteles  
præscribit, nimis delicata & sumptuosa sunt  
remedia; facultatesque & fortunas tuas lon-  
gè superantia. Conuenientiora depromes ex  
Seneca; & imprimis hoc. *Ne irascamur,* (atque  
adeò vt iam irati irasci desinamus) asseque-  
mur, *si omnia vitia irę nobis subinde proposuerimus,  
& illam bene estimauerimus. Accusanda est apud*  
nos,

nos, damnanda, perscrutanda eius mala, & in medium protrahenda sunt, ut qualis sit appareat, comparanda cum pessimis est. Et si, teste Hippocrate, morbus periculosissimus & gravissimus est, in quo vultus est dissimillimus; sequitur iram, quæ vultum tantoperè immutat, gravissimis ægritudinibus annmerandam esse: Quocirca ille apud Plutarchum irati hominis effigiem in animo semper circumferebat, ut eius contemplatione & inspectione impetum iræ coërceret. ὁρῶν ἰπ' ὀργῆς ἐξισταμένους μάλιστα καὶ μεταβάλλονται ὄψιν, χροῖαν, βᾶδισμα, φωνὴν, οἷον εἰκόνα τῆ πάθος ἀπεματτόμεν ἑμαυτῶ, πάνυ δυσχεραίνων εἰ φοβερεῖς ἔτω καὶ παρακεκινηκῶς ὀρῶμαι ποτὲ τοῖς φίλοις. *Cum viderem homines ita ab ira quasi extra se exire, faciemque, colorem, incessum & vocem mutare, impressi mihi quasi imaginem huius mali; non passurus, ut tam terrificus & emotæ mentis aliquando in amicorum conspectum venirem?*

Tu, Misene, imitare; aut si tua mens tantis tenebris est obsita, ut nullius imaginis capax sit; iube sis tibi adferri speculum, in quo te ipsum iratumentem, & cana colla serpentis instar sustollentem intuearis. Fecit, vel potius optavit, hoc ille idem apud Plutarchum, cuius accipe verba. ἐμοὶ δὲ εἴ τις ἐμμελής καὶ κομιφὸς ἀκόλυθος λῆ, ἐκ ἂν ἠχρόμεν ἑαυτῶ προσφέρωντος ἐπὶ ταῖς ὀργαῖς ἔσοπιθον, ἄσπερ ἐνίοις προσφέρουσι λυσαιμένοις

D

ἐπ'

ἐπ' ὑδρὶ χησίμῳ. Si quis industrius festiuusq; pedissequus irato mihi speculum adferret; haud equidem agrè ferrem, sicut quibusdam lauantibus, nullo opere precio adferri consuevit; nisi mauis vti ratione illa Gracchi; cui in dicendo iam concitatori & iratori οἰκέτης αὐτῷ λέγοντ' ὅτι οὐδὲν ἔσῳς καὶ (υ-είγγιον ἔχων, famulus ponè stans, & fistulam inflans, modulos quasi dabat, quibus motos fluctus comprimeret; seq; ad equabilitatem reuocaret. Posset Paræus in tuam gratiam hoc munere fistulandi fungi. Non enim videtur malus fistulator, nisi me mystax eius fallit.

Pithagoras perturbationes animi lyra componebat, inquit Seneca: conduc & tu tibi aliquem lyricinam; si forsan ipse non es lyrodus, etsi insignis es ληρωδός. Præcipit & hoc Seneca. Ut iratum & iracundum lectio carminum obleniat; & historia fabulis detineat. Melissus tuus nimis difficiles nugas habet. Molestum & turpe est, difficiles habere nugas, ait vates. Aptior affectui tuo erit Grobianus de bonis moribus, & Amadisius.

Cæterùm, quod de speculo dixi, id fortasse minus tibi arridebit; secuto Senecam, qui hæc. Speculo neminem deterritum ab ira credo. Qui ad speculum venerat, vt se mutaret, iam mutauerat. Iratis quidem nulla est formosior effigies, quam atrox & horrida, qualesque esse, etiam videri volunt.

Qui-

Quibusdam tamen, vt ait Sestius, & cum hoc Plutarchus, profuit adspexisse speculum. Perturbauit illos tanta mutatio sui, velut in rem presentem adducti, non agnouerunt se; & quantulum ex vera deformitate imago illa speculo repercussa reddebat? Animus si ostendi, & si in vlla materia perlucere posset, intuentes nos confunderet, ater maculosusq̄, estuans & distortus & tumidus, nunc quoque tanta deformitas eius est per ossa carnesq̄, & tot impedimenta effluentis. Non est vllius affectus facies turbatior, pulcherrima ora sc̄dauit, toruos vultus ex tranquillissimis reddit. Linq̄uit decor omnis iratos.

Videndum & illud, monito Senecæ, quàm multis ira per se nocuerit. Alij nimio seruore rupere venas: & sanguinem supra vires elatus clamor egestit, & luminum suffudit aciem, in oculos vehementius humor egestus, & in morbos agri recidere. Nulla celerior ad insaniam via est. Propterea à plerisque Mania & furor numerantur inter species iræ; illa vt filia; hic vt filius. Caue Misene, ab hoc, & ab illa; & vt certius caueas, caue vtriusque genitricem iram. Multi continuauerunt ira furorem; nec quam expulerant mentem, vnquam receperunt. Aiacem in mortem egit furor: in furorem ira. Mortem liberis, egestatem sibi, ruinam domui imprecantur; & irasci se negant, non minus quàm insanire, furiosi. Maximum malum illos cœpit, & omnia exsuperans vitia. Alia paulatim intrant. Repentina &

*vniuersa vis huius omnis est. Omnes denique alios affectus sibi subiicit: nullus affectus est, in quem non dominetur ira.*

Est & hoc non leue bilis pharmacum. Calentibus ingenis subtrahatur vinum, præcipit Seneca, quod pueris Plato negandum censet, & ignem vetat igne incitari. Nec cibi quidem implendi sunt. Distendentur enim corpora, & animi cum corpore tumescunt. Vix induci poteris, vt hanc adeò amaram potionem sumas. Forfan ista magis placebit. Lusus proderunt. Modica enim voluptas laxat animos & temperat.

Vide etiam, mi Lithe, ne ira & iracundiâ tua inimicis voluptati sit: qui te frustra tam pertinaciter irascentem, suauiter in sinu suo ridebunt; & aliorum itidem risui exponent.

Tempore etiam *ira sedatur*, inquit Aristoteles. Sed apud te iam hæc spes omnis decolauit. Tempus tibi non medebitur; si cessent alia remedia; potius vt dolorem; ita & iram intendet.

Mitescit insuper animus, teste eodem Aristotele, cum iram in alium effuderit, vt in Ergophilo contigit; nam cum ei infensiores essent, quam Callistheni, liberarunt eum tamen, quia pridie Callisthenem capite damnauerat. Tu effunde iram tuam in illos, qui te Saxonia & Misnia expulerunt: &

& in eos, qui Peucerum tuum in decenniali carcere detinuerunt: in hos, inquam, euome tuam *cholera*, & fortè nihil supererit, quod exspuas in eos, qui Iesuitas Gallie regno reddiderunt.

Moneo præterea, vt oculos auertas à Panegyrico Roueriano, qui tibi, vt video, stomachum mouet. Abstine, Misene, abstine; Longè citius bilem sedabis, si euoluas orationem illam, qua Hæreticus quidam suadere tentauit Regi Christianissimo, ne Iesuitæ reducerentur in patriam, quamq; , nisi fallor, Franciscus Iunius, antequam abiret ad Orcum, ex Gallico Latinam fecit. Hæc placandæ tuæ iræ non erit incommoda aut intempestiua, quandoquidem tam magnum operæ precium suasor ille tulit; vt & alij Prædicantes; qui eandem orationem in Germanicam linguam transtulerunt.

*Dictus est  
Diuisione,  
& Lutetia  
impressus,  
à Petro Ro-  
uerio So-  
cietatis no-  
stra.*

*Ais: Rouerianum Panegyricum esse Apuleianum.*

Eò magis vitare debes tu homo tam Ciceronianus & Demosthenicus. Vtrum Apuleiano stylo contextus sit, nescio; hoc scio multos ex Caluini schola Apuleio legendo, emaculando & illustrando impigram operam nauasse; & esse; qui adhuc se nauaturos promittant. Hoc itidem scio, te non tam offendi dictione illius Panegyrici, quàm re dictioni

subiecta. Hæc te angit & cruciat. At quæ illa? Reuersio nostra in Galliam, & gratiæ actæ Christianissimo & inuictissimo Regi, aliisque pro hoc tanto beneficio. At sine, Misene, nos gratos esse. Liceat per te hæc tanta beneficia palàm prædicare. Patere, vt cum Marco Tulio patriæ restituto publicè profiteantur nostri in Galliis: *Quod si mihi nullum aliud esset officium in omni vita reliquum, nisi vt erga duces ipsos & principes atque auctores salutis mee, satis gratus iudicaretur, tamen exiguum reliquæ vitæ tempus non modò ad referendam, verùm etiam ad commemorandam gratiam mihi relictum putarem.*

Puilli animi esse oportet, si adeò irritaris Roueriano panegyrico, quem tanto supercilio contemnis. At video verum esse illud Senecæ. *Friuolis turbamur & inanibus. Taurum color rubicundus excitat: ad umbram aspis exsurgit. Vrsos leonesq; mappa proritat. Omnia quæ natura fera ac rabida sunt, consternantur ad minima. Idem inquietis & stolidis ingeniis euenit, rerum suspitione feriuntur. Nam vt vlcera ad leuem tactum, deinde etiam ad suspitionem tactus condolefcunt; ita animus affectus minimis offenditur, adeò, vt quosdam salutatio, epistola, oratio & interrogatio (& Panegyricus Rouerianus) ad litè reuocent. Nunquam sine querela egra tanguntur. Vnde hæc tibi ægritudo? An ex nimia ætate? an ex corporis imbecillitate?*

tate? *Iracundiores sunt valetudine aut etate fessi*, inquit Seneca, & *vetus dictum est: à fesso rixam queri: aquè autem & ab esuriente & sitiente, & ab omni homine, quem res aliqua vrit*: tametsi famem & sitim non puto tibi huius mali causam esse; nisi fortè loqui velimus de fame & siti prout appetitionem Calviniani Euangelij significant.

Fermè exciderat vnum ex præstantioribus bilis sedandæ remediis, quod vel primo loco exhibitum oportuit: nihilq; aliud est, quàm inspectio & imitatio eorum, qui mansuetudine præ cæteris excelluerunt. Etsi autem innumera huius generis passim occurrunt; nescio tamen quodnam luculentius lenitatis exemplum & exemplar tibi proponā, quàm tuum auum Lutherum; quem mansuetudine cum Moyse & Dauide certasse liquet ex tomis eius, præsertim ex libro contra Regem Angliæ; & ex alio quem vicinus iam tumulo conscripsit: *De Papatu per Diabolum fundato*: in quo quidquid loquitur, nihil aliud est, quàm lenitas & mansuetudo, & *mititas*. Totus *Mitio est*: vt & in *Parua confessione*, aduersus Sacramentarios; quæ incredibilis mansuetudo nõ latuit fratres tuos Tigurinos. Quocirca se non potuerunt cohibere, quo minus publicè testarentur, quantis lenitatis notis, & quasi

*Tigur. pra-  
fat. Resp.  
ad parvam  
Confess.  
Lutheri.*

*Hospin. in  
Histor. Sa-  
cram. an-  
no M. D.  
XLIV.*

stellis, confessio illa insignita & distincta ef-  
fet, hunc in modum scribentes. Libellus hic tanta  
diabolorum atque selectissimorum, & à Christiana fi-  
de cum primis abhorretium conuiciorum copia scatet,  
tanta verborum immodestia, fœditate & impuritate  
turget, tanto denique iracundiæ, maledicentiæ, furo-  
ris & insaniam impetu furit, vt quotquot illum legere  
dignantur (modò non ipsi quoque cum illo insanire  
cœperint) non sine graui animorum stupore infelix  
hoc & inauditum hactenus exemplum admirari co-  
guntur; quo lenitatis spiritu impulsus vocat  
Zvvinglianos tuos panuoros, vinibibones, anima-  
rũ latrones: Sie haben (quis enim Latine prodigiosa  
illa verba exprimat, inquit Hospinianus Calui-  
nista) ein eingeteuffelt / durchteuffelt / vberteuffelt  
lãsterlich Herg vnd Eugenmaul. In quibus, ait i-  
dem Calvinista, tantum affectibus, ne quid gra-  
uius dicam, indulget, vt non immeritò quis mirari  
possit, cur tam parum salis, vanitatis autem & nuga-  
rum plurimum in viro tam grandæuo esse potuerit.  
Horrorem certè omnibus ea vellecta, vel audita so-  
lummodò pariunt, quæ in hac recitatione de Spiritu  
sancto profudit. Quas enim ille erroneas opiniones ar-  
bitratur, eas per ironiam Spiritum sanctum nominat,  
quin diabolum quoq; sanctum, & magnum Spiritum  
vocat: & vetus ille Spiritus sanctus alium iuniorem  
Spiritum sanctum peperit & excubauit Luthero, &c.  
Sacramentarius ille de mansuetudine Luthe-  
ri;

ri; quæ luculenter etiam emicat ex libello quodam Lutheri aduersus Cardinalem Moguntinum Albertum; & fœdus commentitium Moguntiaë initum anno M. D. XXVI. Qui libellus tanta Lutherani spiritus mansuetudine delibutus fuit, vt Dux Saxoniae, Princeps Elector, impresso vnico duntaxat folio, grauitè vetuerit, ne Typographus in editione progrediretur. Emanauit tamen excusum illud folium; & ad Spalatinum peruenit, qui nonnulla inde excerpfit. Latuerunt ea excerpta feliciter, donec per Aurifabrum in lucem prodierunt, relata in primū tomum nouorum operum Germanicorum Lutheri; Islebij primū, deinde Lipsiæ impressorum, anno Domini M. D C I I I. vbi *fol. 272.* Porcopropheta Lutherus hoc *Inuitatorio* ad epulas suas lectores placidissimè & benignissimè inuitat. *Triß liebe Saw/ es ist für dich gekocht. Wie der Gast ist/ so ist auch die Kost. Es kan aber niemandt ein Papist seyn / er muß zum wenigstē ein Mörder/ Rauber/ Verfolger seyn/ &c.* Hæc & plura talia pacatissimi & sedatissimi animi documenta dat in Excerptis illis Lutherus: ad cuius similitudinem, quò propius te, Misene, conformaris, eò minus biliosus & iracundus eris. Da te huic studio, Lithe, & ab hac tam graui peste sanaberis.

D 5 Quod

Quod vt facias, facilè à te impetrabit pater tuus Calvinus, cuius lenitatem incredibilem disces cùm ex aliis eius scriptis, tum ex illis, quæ contra VVestphalum scripsit; & ex hac ipsius publica professione edita in literis ad Bullingerum: *sape dicere solitus sum, etiam si Lutherus me Diabolum vocaret, me tamen hoc illi honoris habiturum, vt insignem Dei (Diaboli) seruum agnoscam.* Quid mitius? quid lenius? Ad hoc perfectionis culmen tende, Simo. Huc te vocat Lutherus & Calvinus, imò ipsa, si ea frui velis, viuendi tranquillitas.

Hæc breuiter de iræ tuæ lenimentis. Si qua ratione fieri potuisset, non hos tibi bolos in certas portiones discerptos, sed tres integros Senecæ de *ira* libros simul deuorandos porrexissem, vnà cum libro Plutarchi de *non irascendo*. Sed noui infirmitatem stomachi tui. Reuomisset omnia absq; fructu. Nunc forsitan minutiores istas partes concoques & digeres, parumque abfuit, quin tibi non modò hæc bilis vacuandæ Ethica pharmaca apponerem, sed & Physica nonnulla ex Rondetio, perito Machaone propinarem. Quæ, si mea non iuuent, ab ipso petere licebit. Non negabit ægro opem suam medicam. Si nec illa, nec hoc iram tuam leniant: nos cum Dauidе cantabimus: *Peccator videbit & irascetur, denti-*

dentibus suis fremet & tabescet, desiderium peccatorum peribit. Nunc leuationem quæremus metui Misenico.

PHARMACVM PRO METV  
MISENI.

**M**ETUIT Misenus, ne Iesuite in Galliam reuocati Galliã turbent, abacta pace, in qua nunc degit. Ego cum Lucretio cano. *Veluti pueri trepidant, atque omnia cœcis in tenebris metuunt; sic vos in luce timetis, nihilo quæ sunt metuenda magis, quàm quæ pueri in tenebris pauitant, finguntq; futura. Hunc igitur terrorem animi, tenebrasq; necesse est non radij solis, neque lucida tela diei, discutiant, sed natura species ratioque. Trepidauerunt timore, vbi non erat timor: ait de te tuique similibus Psalmista. Hic certè nullam timendi causam habes; quod ipsemet non inuitus fateberis, si memoria repetere, quæ iam olim in Galliis gesta fuerunt; & ex præteritis de futuro coniecturam facere velis. Nam quis Galliam turbauit antea? Nonne is, qui hodie Belgium? Nonne is; qui ante paucos annos Archiepiscopatum Coloniensem? Nonne is, qui Episcopatum Argentinensem? Nonne is, qui Scotiam? Nonne is, qui hoc autumno superiorem Hungariam?*

riam?

riam? Nonne is, qui ante pauculos annos Austriam? Quis ille Misene? Nonne tu & domus tua? Nonne Lutherus & Calvinus? Nonne Lutheranismus & Calvinismus? cui si liberae habent non concedantur; imò si grassari effrenatè non sinatur; reclamante legitimo Rege aut Principe, ad arma profilit: scloppis & glandibus ferreis *euangelizat*, ferroque viam sibi patefacit: & eius, quod impiè simul ac sceleratè agit, causam & culpam, in innocentes confert: & perinde facit; ac si Absalon, aut Bochri causam concitati belli contulisset in Dauidem.

1. Mach. 1.

Quis belli Auctor fuit tempore Macchabæorum? Macchabæi ne, an scelerati illi; & filij iniqui, qui exierunt ex Israël, & suaserunt multis dicentes: *Eamus & disponamus testamentum cum gentibus, quæ circa nos sunt, &c.* (cum Lutheranis & Calvinianis) & recesserunt à testamento sancto, & iuncti sunt nationibus, & venundati sunt, ut facerent malum?

2. Reg. 10.

Mouit olim arma Rex Dauid aduersus Hanon Regem filiorum Ammon, eò quòd in contemptum & contumeliam Dauidis, raserat dimidiam partem barbæ legatorum, quos Dauid miserat; vestesque eorum medias præsciderat. Nec quisquam bellum hoc Dauidi crimini dedit. Nostri isti; quâdo legatos Dei,  
hoc

hoc est, sacerdotes, & religiosos non radunt; sed aut exterminant, aut suspendunt, exquisitisque suppliciis enecant: quando templa expilant; aras euertunt: omniaque sacra contaminant ac profanant; & aliter non agunt, quàm olim Antiochus egit in templo Hierosolymitano; tum adhuc hæc immania & Turcica facinora & sacrilegia impunè ferre contendunt. Et si quis Dauid, aut Machabæus exsurgat; qui improbissimorum hominum nefarios conatus retundere studeat; tum cœlum & terram clamoribus implent; iniuriam sibi & Euangelio fieri clamitant; se nil nisi pacem quærere & expetere; se pacis studiosissimos & appetētissimos esse; & centenatalia; mera nequitiae tegumenta ingeminant.

Sed his omisis, quæ toti terrarum orbi notissima sunt; te, Misene, omni cura metuque liberum ac solutum esse iubeo: Quiescant Calvinistę tui; & quies per Iesuitas nunquam turbabitur: hoc tibi certò persuadeas velim. Cur te frustra affligis? *Sapins opinione, quàm re laboramus,* inquit Seneca. *Illud tibi precipio, ne sis miser ante tempus; cùm illa, quæ velut imminētia expauiisti, nunquam ventura sint, certè nondum venerunt.* Vbi illud ex Psalmo apud tam in Psalmorum lectione contritum lectorem?

Si

*Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum.* Omnem operam eò confer, vt Calvinistæ tui quietem seditionibus præoptent. Qui, sat scio, nihil intentatum relinquent; vt Iesuitis insidias struant. Sed non expauescimus. Plures sunt pro nobis, quàm contra nos.

*Daniel. 6.*

Illustrem Calvinistarum typum habemus in principibus & satrapis Persarum, qui cum Daniele perditum cuperent, nec tamen perdendi occasionem reperirent, efficere id conati sunt impia lege lata, ne quis quidquàm ab vlllo homine Deòue intra triginta dies peteret, nisi à solo Rege. Quam legem, cum non obseruaret Daniel, vtpote omni equitati aduersantem; ex constituta nefarij decreti pœna in lacum leonum missus est: magna diuini nominis gloria: nullo suo damno, certo emulorum & accusatorum suorum exitio, in quorum caput omnia contra Daniele machinamenta reciderunt. Pari prorsus modo Calvinistæ cum Iesuitis aliisque religiosis agunt; quos cum aperta vi euertere nequeunt; cuniculis id transactum dare student; sed non rarò, iusta Dei sententia, incidunt in foueam, quam aliis foderant; pedicisq;, quas aliis iniustè tetenderant, implicantur iustè.

Cùm

Cùm Daniel idolum Bel destruxisset, & *Daniel. 14.*  
Draconem magno in honore Babylonis habitum interfecisset; rursus periculum capitis adiit; rursus leonibus obiectus est: pabulum iisdem futurus; nisi tutela cœlestis periclitantem eripuisset: Rege per vim adactò, vt Danielem, leonum truculentę feritati exponeret: Vociferabantur enim Babylonij: *Trade nobis Danielem, alioquin interficiemus te, & domum tuam.* Quis iste Bel, nisi hæresis? Quis iste Draco, nisi hæresis? Qui Babylonij, hoc est, *confusi*, absque ordine & ordinatione, nisi heretici? qui Babylonij non essent; si non insidiarentur illis; à quibus Belo & Draconi periculum impendet, vel obex ponitur, ne latius sese diffundat: qui vbi viribus ita polent; vt se faciliè superiores euafuros sperent; intrepidè Regibus & Principibus occinunt: Aut eiice istos hæreseos hostes & oppugnatōres, aut interficiemus te & totam stirpem tuam.

Et in Iesuitas quidem primã semper impressionem faciunt, non quòd alios religiosæ vitæ professores ament, & conseruatos cupiant; sed quia nostros magis oderunt: nam Geneuæ & Heidelbergæ, & in omnibus Calvinianis ciuitatibus tam multi, opinor, supersunt Monachi, quàm multi Iesuite. Nimirum

rum

I. Reg. 12.

rum vt Philistæi olim Israëlitis subactis omnes *fabros ferrarios* abstulerunt, *'ne fortè facerent Hebræi gladium aut lanceam*: ita isti nostri nudius tertius exorti Philistæi id potissimum curæ habent: vt omnes illos amoliantur, qui populû instruere, & ne in sectas labatur, præmunire, & arma aduersus hæreticos vtenda fabricare norunt.

Act. 17.

Si conatus minus ex sententia succedat, faciunt, quod à maioribus suis simili in caussa factitatum sciunt. *Zelantes Iudæi*, inquit S. Lucas agens de illis, qui Pauli & Silæ prædicationibus ad Christi sacra traducti fuerant, *assumentesq; de vulgo viros quosdam malos, & turba facta concitauerunt ciuitatem, &c. clamantes, quoniam hi sunt, qui orbem concitant, & huc venerunt, quos suscepit Iason, & hi omnes contra decreta Casaris faciunt, etc. concitauerunt autem plebem, & principes ciuitatis audientes hæc. Qui adeò Paulo infesti erant, vt Thessalonicam turbasse non contenti, Bercæam quoq; seditionis excitandæ gratia sese reciperent. Cum enim cognouissent in Thessalonica Iudæi, quia vt Bercæa prædicatum est à Paulo verbum Dei, venerunt & illuc, commouentes & turbantes multitudinem*, inquit S. Lucas.

Act. 19.

Quod & Ephesi factum, præcipuè impulsu Demetrii argentarij, qui metuens, ne ad mendicitatem redigeretur, si despectis idolis,

idolis, Christiana religio inualesceret, gra-  
uissimam seditionem commouit. Qui mihi  
viva Prædicantium & Ministrorum Caluini-  
sticorum imago fuisse videtur: qui vbi ani-  
maduertunt, sectam suam in discrimine po-  
sitam, mox conuocant symmystas suos, &  
eos, qui huiusmodi erant opifices, dicuntque: *Viri,*  
*scitis, quia de hoc artificio* (mentiendi & seducen-  
di) *est nobis acquisitio, &c. Non solum autem* (nisi  
obuiam eamus) *hac periclitabitur nobis pars in*  
*redargutionem venire, sed & magna Diana,* (mam-  
mosa & multiceps nostra Hecate seu Hære-  
sis) *in nihilum reputabitur, sed & destrui incipiet*  
*maiestas eius, quam tota Asia,* (Gallia, Germania)  
*& orbis colit.*

Quid ad hanc cohortationem sequitur?  
*His auditis, repleti sunt ira, &c. & impleta est ciuitas*  
*tota confusione, & impetum fecerunt vno animo in*  
*theatrum, &c. & alia huius generis talibus ce-*  
*leusmatis planè consentanea; hæreticisque*  
*nostris fermè quotidiana. Sed in his omnibus su-*  
*peramus propter eum, qui dilexit nos, inquit Apo-* Rom. 8.  
stolus. Cui quod olim Dominus per visio-  
nem dixit, id & ad nos pertinere arbitramur.  
*Noli timere, sed loquere, & ne taceas, propter quod* Act. 18.  
*ego sum tecum: & nemo apponetur tibi, vt noceat te:*  
*quoniam populus est mihi multus in hac ciuitate, &*  
*in vniuersa Gallia. Hac promissione freta*

E cuni-

1. Reg. 2.


cuniculos vestros, fraudesque & sutelas flocci facit Societas nostra, inq; iudicio Christianissimi Regis, à quo tam paternè & beneuolè partim Gallia restituta, partim confirmata est, securè acquiescit, cumque Anna illa hilari voce canit: *Exaltauit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo. Dilatum est os meum super inimicos meos (Caluinistas) quia letata sum in salutari tuo. Non est sanctus, ut est Dominus, neque enim est alius extra te, & non est fortis sicut Deus noster. Nolite (vos Caluinistæ & Lutheristæ) multiplicare loqui sublimia, gloriantes, &c. Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore, &c. Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit. Dominus pauperem facit & ditat; humiliat & subleuat. Suscitatur de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem, ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat. Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.*

Et cur hunc hymnum Deo non concineret; quâdoquidem *amulam suam* hæresin, quæ perpetuò proscriptionem ex Gallia exprobrabat; nunc confusam, & hac reuocatione insigniter percussam & videt & gaudet; teq; Misene, siue dolentem, siue irascentem, siue metuentem; siue hæc omnia & alia etiam simul agentem, tanquam cœcum & pertinacem, & iam sempiterno exitio vicinum Caluini-

uinistam deflet: illud Psalmi identidem repetens: *Confundantur & reuereantur, qui quærunt animam meam. Auertantur retrorsum & erubescant, qui volunt mihi mala. Exultent & latentur in te omnes, qui quærunt te; & dicant semper: magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum. Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam FILIO Regis, iudicare populum iniusticia, & pauperes tuos in iudicio.*

Tandem, vt tibi, Lithe, 'omnem metum 1. Paral. 12. abstergam, quod Amasai Princeps inter triginta interrogatus, num pacificè cum sodalibus venisset; respondit Dauidi; hoc itidem ex imo pectore ab omnibus nostris, qui in Galliis degunt, patriæ & Christianissimo Regi, quasi sciscitanti responsum existima. Quid igitur Amasai? *Tui sumus ô Dauid.* (Tui sumus ô Gallia, ô Rex inuictissime & potentissime) *& tecum Fili Isai.* (Et tecum maximi Regis maxime Fil) *Pax, pax tibi, & pax adiutoribus tuis: te enim adiuvat Deus tuus.*





# DE MISENICA MONSTRANTIA.

**N**E Misenus non modò Græcè, sed & Poëticè, & Sacramentariè ineptus esset, subiunxit Græcis nugis imaginem illius Hierotheæ, (*Monstrantiam* Ecclesiastico vocabulo nominamus) quæ olim in monte Gratiæ, & cuius similem asseruat Andechsianus Mons sacer Bauariæ, in qua tres hostiæ visuntur & religiosè coluntur; quarum duas consecrasse fertur D. Gregorius Magnus; tertiam, Leo IX. Vna in sanguinem mirabiliter conuersa est: altera in carnem, tertia sanctissimum IESV nomen sanguine purpuratum præ se fert. Has tres hostias; seu potius tria hæc præpotentis Deimiracula ridet Lithinus Sacramentarius; & quidem versibus; sed adeò insulsis, inscitis & inficetis, vt Sextianam illam orationem (quæ poëtæ Veronensi *grauedinem frigidam, & frequentem rufum* attulit) cum carminibus istis collatam, arbitrer fuisse valde elegantem, saleque & gratiis plenam. Et si autè nullius negotij esset à calumniis istius Lithi, has & id genus alias miraculosas in sacramento Eucharistiæ apparitiones asserere,  
(nam

(nam non ita pridem copiosissimè de hoc argumento in Schola disputavi ad a.8. q.76. Tertiæ partis S. Thomæ) quo tamè bono fructuue Miseni id fieret?

Dicebat olim Antiphanes, *in vrbe quadam voces illiò frigore loci congelare, ac per æstatem gelu soluta demum exaudiri, quæ dicta erant byeme.* In hac, opinor, vrbe habitant Calvinistæ, ad quorum aures & mentes nihil eorum peruenit, quod de maiestate vel miraculis huius Sacramenti differitur. Omnia vocabula statim concrefcût, & in gelidissimum gelu durantur: ita, vt ne æstate quidem media, cum Sirius vrit agros, resoluantur. Catholici, qui hæc scire auent, habent cum aliis, tum Theologiæ scholasticæ Doctores; ex quorum numero est Gabriel in Canonem lect.51. vbi de his & eruditè & diffusè. Calvinistis, quidquid canas, *cibum in matulam ingeras*: quod Pythagoreo quodam monito vetamur. Agnoscant prius Christi in Eucharistia præsentiam: definant esse *Capharnaitæ & Berengariani*; & tunc de huiusmodi apparitionibus cum illis verba commutabimus.

Vt tamen & hic non modò irrisorem, sed & impostorè Lithum agnoscas: inspice chartæ Misenicæ vestibulum, in quo hæc cernes. *Addita epigrammata aliquot in præturam de triplici*

*Sacramenti specie, repertam in duobus Bauariae Monasteriis Gratiemontano & Andechfiano inter idolatricas Monialium reliquias. Vbi aliquot fraudes latent; quæ in apertum producendæ sunt.*

I. Gratiemontanum Monasterium collocat in Bauaria, cum sit non procul Altorfo Noricorum, vbi hodie Norica Academia: Germanicè, Gnadenberg. Quis verò hodie ita loquitur, vt dicat, Norinbergam, vel Altorfum Norimbergensium esse in Bauaria? Dicit, se veterum more de Bauaria locutum. At ego longè verifimilius existimo, Misenum, more veterum & recentium impostorum lectori suo imponere voluisse.

II. De Gratiemontano & Andechfiano Monasteriis ita loquitur, quasi vtrunq; fuerit Monialium, cum tamen de Andechfiano constet, illud nunquam à Monialibus inhabitatum esse; vt Metropolis Hundij, & Chronicum Andechfianum docet. Nominat quidem postea Monachos. At cur omisit in titulo?

III. Ita scribit, quasi eadem hostiæ in vtroque loco fuerint. Quod tum credã, cum Misenus locupletiores huius rei testes, quàm ipse sit, mihi adduxerit: nam eas, quæ sunt in *Monte sancto Bauariæ*, nunquam fuisse in *Monte gratiæ Norici*; planè sit ex Chronico Andechfiano.

fiano. Alias ibidem fuisse, & quidem etiam à S. Gregorio & Leone IX. profectas, quid veritat credere, si inscriptio Hierothecæ talis erat, qualis nobis à Miseno spectanda proponitur? Non vno loco huiusmodi miraculosæ hostiæ etiamnum visuntur, & religiosè coluntur, neque tantùm officere valuit Calvinistica impietas, vt omnia ista pietatis monumenta aboleret. Quid si hostiæ illæ in Monte gratiæ non erant miraculosæ hostiæ; sed imitationes quædam & imagines earum, quæ in Monte sancto Bauariæ asseruantur. Moris enim erat, cum religio magis vigeret; vt si quid alicubi miraculosum esset; id alibi locorum in imagine representaretur. Vnde non rarò accidit; vt quod non nisi imago miraculi vel reliquiarum erat; censeretur ipsum in se miraculum, vel sacrum lipsanum. Hoc si præter cætera, Sectarij attenderent, parcius opinor, aliquando de geminatis vel triplicatis reliquiis fabularentur, vel potius calumniarentur.

Cæterùm ne nihil reponam Miseno, qui *Monstrantiam* seu Gratiæ montanam seu Andechsianam carminibus illustratã mihi toti- que Societati meæ contemplandam proponit, lubuit *Monstrantiam Monstrantiis* & carmina carminibus remunerari; pessima non ma-

lis: rotundisque, quadrata, Bauiana & Ma-  
uiana, & quæ cantu suo ne Fauni quidem aut  
Satyri dignarentur. Arrige sis aures, Chœri-  
le, & quid olores mei cantent, ausculta.

IN CALAMITOSOS, ET  
CAPITE CENSOS MISENI  
VERSICVLOS.

**L**imam, Lithe, perdis, & lituram,  
Qui tentas calamosq̄, sepiasq̄,  
Et fractos pede claudicante versus  
Effatis miser imperare Musis.

Nam quantus pudor est, videre, quantum  
Nutent poplite languido, suasq̄  
Conducto pede fulciant ruinas?  
Illinc stridula triga sordidatos  
Luxato rotat axe Barbarifimos;  
Hinc currunt male, perq̄ tortuosos  
Transuersi velut exeunt fritillos.

PRAETOREM pete; Dic diem magistro;  
Expensam tibi reddat ut minerval.  
DANDA est ACTIO; non fuit magister,  
Impositor fuit ille; nil meretur.  
Quis testabitur, inquires? Neganti  
Versus dummodo scripseris, probabis.

Aliud

## Aliud.

*Cum Lithus ex succâ tentaret carmina venâ,  
Carmina nec numero, nec placuere stilo.*

*ALBUS HOMO, dices; Cur edere car-  
mina sperat,*

*Qualia nec solem, nec meruere salem?*

*Causa subest: nequit scribendo Poeta videri;  
Sed postquam licuit fingere, iam potuit.*

Ad eiusdem frigidas quæsti-  
unculas.

*HOSTIA cùm tēplis suffecerit vna vetustis,  
Vnica nūc HOSTIIS cur datur Ara tribus?*

*Hoc, Misene, rogas? Dicam, Misene, roganti;  
Si sapis, ut liceat dissimulare, roga.*

*Pocula dum populo Calvinus plena propinat,  
Inq̄, meri calices ire, Luthere, iubes;*

*Abstrahitur sacro Cereris velamine plebes,  
Poculaq̄, innumeris stant ad eunda labris.*

*HOSTIA sic geminis deserta recedit ab aris  
Hinc, Calvine, tuis, inde, Luthere, tuis.*

*Quo potius, nostras quàm se cōferret ad arā?  
Si tamen à vestrà tuta stat ara manu.*

*Sed dolet, hac nostris servari munera tēplis?  
Imò dolet, templis illa migrasse tuis.*

E 5. Aliud.

Aliud.

Cum sacra Boiarici monstratur lipsana tēpli,  
 Mōstrat tergeminos Hostia trina sinus;  
 Hoc, Misene, doles; specieq; recurris ab illā.  
 Monstrasset Calices, an fugiturus eras?

Aliud.

Trina mihi pista monstrantur signa farina,  
 Cur non & Calices Boia monstrat, ais?  
 Ne, Lithe, quare; timet: nam quos monstrare  
 parabat,  
 Dū MERCATOREM te putat esse, regit.

Aliud.

Symbola linguatis dare vult donatica Circ?  
 I Lithe, vult linguam prima corona tuā.  
 Linguatibi mendax. hanc noli vendere lin-  
 Vel si vis ulli vendere, vende Stygi. (guā:

Aliud.

IN MONSTRVOSI, MISE-  
 NI MONSTRA.

I Mpius ambrosia dum rides munera die:  
 MISENVs haudes more STENIVs prisco.  
 SIMONIS magici germana, & posthuma ples  
 Te potius: & MOMI merum retrimētum.

Mon-

*Monstra paras, qua monstraris: tua mon-  
straq; monstras.*

*Non monstruosus es bipes; sed es monstru.*

GRATIÆ MONTANA MON-  
STRA REDDITA.

Ratio h. apparet, argentum οἶχεται.

**M**ONS GRATIÆ qui Noricis in finib<sup>9</sup>.  
*Monstrabat olim, ut dicitas,*

*PANEM POLI, tribus tremēdum in hostiis;*  
*(Preciosa mittam ut lipsana*

*Auro, atq; gemmis culta Noricis piis,*  
*Venerata & annuis cyclis:)*

*Monstrare nunc cœnobion hoc nil est pote.*

Res sacra, & argentum οἶχεται.

*Ex quo, profana monstruosaq; HAERESIS*  
*Incubuit ausu, & impete:*

*Clam, propalam, cen turbo violens fundit ue*  
*PIETATIS hanc messem abstulit.*

*PERFIDIA vestra monstra gignit talia,*  
*Vbicunque pragnans confidet.*

Habes carmina carminum tuorum Anti-  
dora. Nunc accipe aliquot MONSTRAN-  
TIAS in officina Lutheri & Philippi factas, &  
inde prolatas. Video te Menstrantiis delectari;

Quo-

Quocirca intermittere non potui, quo minus aliquas tibi spectandas & venerandas proponerem ex ipso, vt dicebam, Luthero & Philippo. Tu, quaeso, significa, num, & quomodo munus hoc tibi arriserit.

*MONSTRVOSISSIMAE MON-  
strantia Lutherana.*

I.

**S**ic Deus dilexit mundum, vt filium suum vni-  
genitum daret, vt omnis qui credit in ipsum non  
pereat, sed habeat vitam aeternam. So ist nu diß so  
vil gesagt / keine Sünde ist mehr in der Welt / dan  
Vnglaube. Andere Sünde in der Welt seind  
Herz Simons Sünde / als wañ mein Hensichen  
vnd Lenichen in den Winckel scheißt / deß lachet  
man / als sey es wol gethan. Also machet auch der  
Glaube / daß vnser Dreck nicht stincket vor Gott.  
Summa summarum / an den eingebornē Sohn  
nicht glauben / das ist allein die Sünde in der  
Welt / darumb die Welt gerichtet wirdt.

Lutherus in der Haußpostill getruckt zu For-  
gaw 1601. in der ersten Predig am Pfingstmon-  
tag. Reddamus Latine, & obstupescite, quot-  
quot stupor non prorsus stupidos, sensusq;  
expertes effecit, simulq; ignoscite, quod tur-  
pissima Caci huius verba exscribo. Perinde est.

ac si dicat: Nullum est amplius in mundo peccatum, nisi, non credere. Alia peccata in mundo, sunt Domini Simonis peccata: sicut quādo meus Ioannellus vel Leonardulus cacat in angulum, omnes rident, quasi bene factum sit. Sic & fides facit, vt sterco nostrum non foeteat coram Deo. Summa summarum, nō credere in filium vnigenitum; id vnicum & solum est peccatum in mundo, propter quod mundus iudicatur.

## II.

Lutherus Tom. i. Nouorum operum Serm. Lipsiæ impress. 1603. fol. 168. in serm. super Euangel. Attendite à falsis Prophetis, &c.

Wann ich das verstehe/ so merck ich/ daß kein Werck so böß ist/ das den Nächsten mag verdammen/ auch keines so gut/ das den Menschen mög selig machen/ sonder allein der Glaub macht vns selig/ vnd der Unglaub verdammet vns. Daß einer fällt in Ehebruch/ das Werck verdambt ihn nit/ sonder der Ehebruch zeigt an/ daß er von dem Glauben gefallen sey/ das verdambt ihn/ sonst wär es nit möglich. Also macht einē niemandt fromb/ dann der Glaube/ vnd nichts macht einen böß/ dann der Unglaube.

Si hoc intelligam, statim animaduerto, nullum opus esse tam malum, quod hominem possit condemnare; & nullum tam bonum, quod hominem possit saluare; sed sola fides nos saluat, & non credere, damnat nos. Quod quis in adulterium incidat, factum hoc

non

*non condemnat illum. Sed adulterium ostendit, quod à fide exciderit. Hoc damnat illum; alioqui non esset possibile. Quocirca nihil hominem reddit probum, nisi fides; & nihil efficit hominem malum, nisi non credere seu infidelitas.*

## III.

*Tom. I. epist. Lat. epist. 238. ad Melanchthonem. Esto peccator & pecca fortiter, sed fortius fide & gaude in Christo: qui victor est peccati, mortis & mundi: peccandum est, quamdiu hic sumus, & c. sufficit quod agnouimus per diuitias gloriae Dei Agnum, qui tollit peccatum mundi: ab hoc non auellet nos peccatum: etiamsi millies millies vno die fornicemur, aut occidamus.*

In hac, vt & in prima Monstrantia, manifestè indicat Lutherus, cum summis sceleribus, qualia sunt adulteria, & homicidia, & id genus alia, fidem consistere posse, atq; adeò aliquè dum moechatur, scortatur, & homicidium committit, iustū esse posse. Dummodo credat, etsi in secunda Monstrantia sua Monstrum hoc non nihil temperat; cum asserit; adulterium vel simile scelus esse fidei amissæ indicium. In forme nihilominus, imò & intolerabile monstrum est dicere, adulterium, non esse eiusmodi opus, quod hominem damnare, aut malum & sceleratum per se efficere queat.

IV. Lu-

## IV.

Lutherus in Assert. articulorum damnatorum art. 36. VVitebergæ anno 1521. in quarto. *Malè dixi, quod liberum arbitrium ante gratiam sit res de solo titulo, sed simpliciter debui dicere; liberum arbitrium est figmentum in rebus, seu titulus sine re. Quia nulli est in manu sua, quippiam cogitare mali aut boni; sed omnia (vt VViclephi articulus Constantia damnatus rectè docet) de necessitate absoluta eueniunt. Quod & poëta voluit, quando dixit: certa stant omnia lege.*

In margine additur huic *Monstrantia. Omnia de necessitate absoluta eueniunt.* Cui profectò aliud, quod adscribam emblema non habeo, nisi illud ipsius Lutheri in assertione eiusdem articuli. *O furor furorum omnium nouissimus.*

## V.

Melanchthon in Annotationibus super epistolam ad Romanos fol. 50. a. Argentorati anno Domini 1523. apud Ioannem Heruagium. *Consequitur ridiculum commentum esse liberum arbitrium. Quia voluntas nostra adeò non est libera, vt eo tantùm feratur, quorsum à Deo impellitur. Consequitur ergo nugatorium esse, quod de generali influenza & speciali scholæ comminiscuntur, etc. Nos verò dicemus, non solùm permittere Deum crea-*  
*turæ,*

turis, vt operentur, sed ipsum omnia propriè agere, vt sicut fatentur proprium opus Dei fuisse Pauli vocationem, ita fatentur opera Dei propria esse, siue quæ media vocantur, vt comedere, bibere, communia cum brutis, siue quæ mala sunt, vt Davidis adulterium, Manly seueritatem animaduertentis in filium, &c. Ergo non est cur frigidum glossæ recipiamus, Deum mala permittere, non etiam facere, &c. Itaque hæc sit certa sententia, à Deo fieri omnia tam bona, quàm mala. Quod si obstrepit sensus carnis, multa indigna tanta maiestate committi, videri esse contingentiam rerum, meminere sacram doctrinam, scripturam esse proditam ad mortificandum sensum carnis.

Et quid verbis opus est? Necessario omnia eueniunt in omnibus creaturis. En monstri plusquam Stoici breue complementum.

## VI.

Melanchthon in iisdem Annot. eiusdem edit. fol. 49. Contingentia quædam in rebus videtur, cum tamen sit necessitas. Præterea stultum carni videtur, Deum omnia facere, & in his tam multa frivola & mala, sed hic humanis cogitationibus imperandum est, & adoranda illa incomprehensibilis maiestas: Quid igitur? inquit Melanchthon in Locis tit. de lib. arbitrio, edit. Argentorati apud Ioannem Heruagium anno Domini 1523. folio 10. Nullane est in rebus, vt istorum vocabulo vtatur, contingentia, nihil casus, nihil fortuna? Respon-

spondet Philippus. *Omnia necessario euenire docent scripturae. Esto, videatur tibi esse in rebus humanis contingentia, iudicio rationis hic imperandum est.*

## VII.

Melanchthon in loc. cit. fol. 10. b. *Tollit omnem libertatem voluntatis nostrae diuina praedestinatio. Nulla libertas est, si voluntatem humanam ad diuinam praedestinationem conferas. Etiam iuxta naturae iudicium in affectibus nulla est libertas.*

## VIII.

Lutherus in assert. 36. art. anno 1521. VViteberg. *Mala opera in impiis Deus operatur, &c. Quis audet negare, se etiam in malis operibus, saepius coactum aliud facere, quam cogitauit? &c. Non est homo in manu sua, etiam mala operans & cogitans. Perit itaque hic etiam generalis influentia, qua garrunt esse in potestate nostra naturales operationes operari; secus rem habere monstrat experientia omnium.*

Huic etiam monstruosae MONSTRANTIAE, quod addam, non inuenio, nisi illa vltima in Assertionem articulorum verba. *Vale scelerata abominatio, tam stultè simul & impiè loqueris, vt indigna sis propter quam verba fiant.*

*Haec si monstra tibi, Lithe, non monstruosa videntur.*

*Te monstrum his ipsis grandius esse feram.*

## IX.

Lutherus Tom. I. nouorum operū Germ. Lipsiæ editorum 1603. fol. 180. b. S. Jacobs Epistel ist ein rechte Stroderne Epistel gegen sie / dann sie doch kein Euangelische Art an ihr hat. *Epistola S. Iacobi (comparata cum Euangelio sancti Ioannis, eiusdemque prima epistola, & epistolis S. Pauli præsertim illis ad Romanos, Galatas, Ephesios, & S. Petri primam epistolam) verè straminea est, quia non continet in se vllum Euangelicum genium vel spiritum.*

## X.

Lutherus loc. cit. Wo ich ihe der eines manglen solt / der Werck oder Predig Christi / so wolt ich lieber der Werck / dann seiner Predig mangeln. Dann die Werck helffen mich nichts / aber seine Wort geben das Leben / wie er selbst sagt. Weil nun Ioannes gar wenig Werck von Christo / aber gar vil seiner Predig schreibet / widerumb die anderen drey Euangelisten vil seiner Werck / wenig seiner Wort beschreiben / ist Ioannis Euangelium das einige / zarte / rechte haupt Euangelium / vnd den anderen dreyen weit / weit für zu ziehen vnd höher zu halten.

*Si alterutro carere deberem, operibus vel concionibus Christi, mallet operibus quàm concionibus carere, quia opera (Christi) nihil mihi profunt; sed ver-*  
bail-

ba illius dant vitam, sicut ipsemet dicit. Cùm ergo <sup>Ioan. 3.</sup> Ioannes pauca opera Christi, sed multas eius conciones scriptis mandarit; at verò tres alij Euangelistæ multa eius opera, pauca verò verba exposuerint; ideo Euangelium Ioannis est vnicum, exquisitum, re-ctumq; & principale Euangelium, & aliis tribus longè, longè præferendum.

Sic & epistola S. Pauli & Petri longè tribus Euangelis Matthæi, Marci & Luca præstant, inquit ibidem idem Lutherus. Summa, S. Ioannis Euangelium, & prima eius Epistola, S. Pauli Epistola, maximè ad Romanos, Galatas, Ephesios, & S. Petri prima Epistola; sunt illi libri, qui tibi Christum monstrant, & omnia docent, quæ tibi scitu sunt necessaria & salutifera.

Vt placent tibi, Lithe, monstruosissimæ istæ Lutheri & Philippi *Monstrantia*; quorum ipsos Auctores postea aliquatenus puduit? Quære in Formis Lutheri, quæ de libertate voluntatis rerumque contingentia & necessitate recitauimus; nihil amplius inuenies; aut non tam manifestè & apertè Stoica & VViclephica reperiens. Accisa sunt nonnihil & circumcisa, ob summam impietatem; vt patebit legenti Assertionem art. 36. Tom. 2. Lat, VViteberg. operum Luthericorum.

Quære eadem pronunciata plusquã Stoica in Locis & Annotationibus Philippi po-

stero tempore recusis. Nihil penitus apparet amplius. Omnia euanuerunt, omnia resecta sunt. Et tamen vociferabatur Melanchthon: *Certum sit, nullam esse rerum contingentiam: omnia simpliciter necessariò euenire:* Scripturam citabat & crepabat; nil exploratius esse, quàm hoc ex decreto scripturæ, clamitabat. Nihilominus re melius considerata, omnia ista in spongiam incumbere iussit.

Quære in *Domestica Postilla* Lutheri (in der *Haus Postill*) locum, quem primo loco posui; vix decimum exemplar reperies, in quo concio illa exstet. Quære in posterioribus Lutheri Bibliis impiam istam inter Euangelia collationem, & sceleratum de S. Iacobi Epistola iudicium; vbi & quando inuenies? Obliterata sunt hæc tam profana & sacrilega. Restituta tamen, iusto Dei iudicio, ab illis, qui *Postillam* nuper Dorgauij recuderunt; & Lutheri Germanica opuscula in Tomis VVitebergensibus vel Ienensibus omissa, in duos tomos collecta euulgarunt.

Hæ & id genus aliæ *Monstrantia* euidenter monstrant, qualia monstra fuerint Lutherus & Philippus; qualia monstra pepererint, & in chartas effuderint. Omnia hæc portenta non aliunde, quàm & ipsis Lutheri & Philippi libris exscripti; ne putes me aliena fide hic vsum esse.

Finiam,

Finiam, si tamen prius ex te quaesiero, num ad stomachum tuum hæc Lutheri barbytus faciat. Ich wil mir die heimlichen Beicht niemandt lassen nemmen / vnd wolt sie nit vmb der ganzen Welt Schak geben / dann ich weiß was Stärck vnd Trost sie mir geben hat. Es weiß niemandt was die heimliche Beicht vermag / dann der mit dem Teuffel oft fechten vnd kâmpffen muß. Ich wâr lengst von dem Teuffel vberwunden vnd erwûrget worden / wann mich dise Beicht nicht erhalten hett. Lutherus vlt. concione ex his quas VVitebergæ habuit post reditum ex Pathmo. Tom. 21. operum nouorum Germ. fol. 94. a.

*Occultam seu auricularem confessionem nõ patiar mihi ab vllò eripi: non darem illam pro totius mundi thesauris. Scio enim quantum roboris & consolationis mihi præbuerit. Nemo scit, quantum possit occulta confessio, nisi cui sæpius cum Diabolo certandum est ac luctandum. Iam dudum à Diabolo superatus & strangulatus fuisset, si me ista confessio non præseruasset. Dic agedum, mi Lithe, vtrum eodem aduersus Satanam amuleto vtaris, & an vtendum arbitraris? simulque vale, vt mereris.*



GRETSE RV S LITHO  
RESPONSVM AD TERTIAM  
Apologiam minitanti.

**Q**uod noua bella paras, hebeti mucrone  
quod arma

Exacuis rursus, nil, Lithe, sollicitor.

Quandocunq; voles prodi, crepitantibus ora  
Percussus pugnis regrediêre domum.

Si nondum satis es, miser ô Misene, dolatus,  
Dolium uti fias, te redolabo lubens.

*Lib. Coll. Soc. J. J. Paderborn. 291610*  
VATICINIVM PHOEBI

DE FUTURO MISENI

Responso.

**Q**uem parit, aut peperit, vel adhuc, re-  
nuente Minerva,

Parturit iste Lithus: quis, rogo, partus erit?


Hac ego: mox Phæbus, nullo tua quaestio vate


Indiget: an nomen non docet ista Lithi?


Est Lithus, & meritò Lithus audit: ergo ne-  
cesse est,


Vt quod progignit sit Lithus, aut Lithinū.


Laus DEO Virginiq; Matri.














1851

Th  
6054